BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
12
2 A
2

M

12 - 16. a, 130

27. A.

Digitized by Google

Digitized by Google

PETRI DANIELIS HUETII,

Epiſcopi Abrincenſis;

CENSURA PHILOSOPHIÆ CARTESIANÆ.

EDITIO NUPERRIME aucta & emendata.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA



BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

NEAPOLI, M.DCC.XXVIII.
Ex Typographia Felicis Moſca.
Superiorum permiſſu.

Expenſis Cajetani Elia.

Digitized by Google

Google

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ANTECESSIO.

CUM Philoſophiam Carteſianam ad cenſuram meam revocare inſtituiſſem ante annos aliquot, ea præfatus eram, quibus non contumelias modo ſectæ hujus, ſed & offenſionem vitare me poſſe ſperabam. Præ me enim tuleram, non ſponte a me ſuſceptum id eſſe ſcribendi argumentum, ſed coactum impulſu ſummi viri Montauſerii, cujus magna erat imprimis apud me & gravis auctoritas. Præterea in ipſius argumenti tractatione ea adhibita erat a me modeſtia, atque moderatio, ut ſi a reſpondendo temperare ſibi non poſſet factio illa, quantumvis ſuperba, atque procax, pari tamen jure, modoque mecum acturam putarem. Verum evenit multo aliter.

Nam & in Germania, & in Hollandia, & in Friſia, & plus hic etiam in Gallia, in circulis, in ſcholis, in diſputationibus publicis ſtudioſorum, in prælectionibus Magiſtrorum, dictis, ſcriptis, carminibus famoſis appetitus ſum. Quidam etiam ex hoc grege cordati viri, veteri mecum neceſſitudine conjuncti, non temperarunt ſibi, quin ſe totos ab amicitia noſtra averterent, mallentque amicum ejurare, quam ſuſceptam opinionem. Quæ quamvis ingrata erant, ferebam tamen æquo animo, quippe nullius mihi culpæ conſcius. Nam cum hanc mihi ſcribendi materiam ſumerem, in medio palmam omnibus poſitam eſſe credebam, qui tractarent Philoſophiam; iniquos fore, qui licere ſibi vellent veterum ſectas contemnere, mihi novam hanc repudiare fas eſſe nollent; atque etiam eo iniquiores, ſi conviciis pugnare mallent, quàm rationibus. Non enim comparatæ ad-

ver-

verſum me ſcriptiones illæ, quas apud exteros circumferri acceperam, flagrante hoc bello, ad me poterant pervenire; nec porro perventuras ſperabam. Jam itaque defunctum me putabam hujus controverſiæ moleſtia, cùm ecce longo poſt tempore Carteſianæ Philoſophiæ defenſorem ſe fert, vir in hac palæſtra diu ſubactus, & inter ſuos celebris grandi opere nuperrime edito, quo totam doctrinæ hujus deſcriptionem, ac ſeriem complexus eſt. Is, ſive gregalium ſuorum perſuaſu & inductu, ſive ſuopte ingenio, patrocinium in ſe recepit ſectæ hujus, Cenſuramque noſtram palam confutare inſtituit. Toleraſſem hoc vero ſine querela, ſi pro eo ac debuerat, loci, ac dignitatis noſtræ rationem habuiſſet, nec præter omnem urbanitatis, atque etiam humanitatis morem, ea in me jactaſſet, quæ magiſtratus potius animadverſione, quàm noſtra reſponſione digna eſſent. Verùm hæc condonamus homini nimis Philoſopho, ac Carteſiano præſertim, hoc eſt,

Phyſicæ Philoſophiæ, quam Moralis ſtudioſiori. Quod ſpectat ad opus ipſum, ut nulli alii prodiiſſent hujus ſectæ fœtus, qui prodierunt quamplurimi, unde æſtimari ea poſſet, vel ex uno hoc certo libro, ſi quis attente introſpexerit, qui ſit hominum illorum captus, quod ingenium, quæ eruditio, quæ in ratiocinando facultas, quæ ſententiarum, ac verborum cohærentia, facile licet cognoſcere. Quod ſi tantum nobis abs re noſtra fuiſſet otii, ut ſingula poſſemus perſequi, res abiiſſet in immenſum; verum excluſi temporis anguſtiis, & ad graviora revocati, cùm recuderetur opus noſtrum, intactis reliquis, quæ objecta nobis fuerant argumentis, in primo hæſimus capite, quo totius Carteſianæ molis fundamenta continentur. His enim emotis, quod factum a nobis eſt, niſi noſtra nos fallunt, reliqua corruere neceſſe eſt. quæ ne quis a me gratis jactari exiſtimet, quam multa flagitia in libello hoc commiſerit nuperus ille Carteſianæ diſciplinæ vindex,

ex pauculis illis exiſtimare promtum eſt, quæ hic damus in anteceſſum. Ordiamur a diſcrepantia ſententiarum, & verborum. Cùm alibi ſæpe, tum præcipue in reſponſione ad ſectionem nonam primi capitis; quæritur cogitationem, qua aliquid mens percipit, actionem a me haberi & appellari, cùm nihil aliud ſit, quàm affectio. At paulo tamen ſuperius diſerte hæc ſcripſit: *Cùm ajo, ego cogito, ſcio me agere; ſcio enim idem eſſe agere & cogitare; ſcio me agere cùm cogito.* Tum alio loco, *Actio*, inquit, *qua cognoſcimus nos rem bonam, vel malam judicaſſe, pertinet ad mentem*. In reſponſione ad ſectionem undecimam ejuſdem capitis, negat ratiocinationem ineſſe in his verbis, *Ego cogito, ergo ſum*; cum tamen hoc ipſo loco verba hæc ratiocinationem appellet, eorumque concluſionem nobis lumine naturali cognitam eſſe dicat, & propoſitum fuiſſe Carteſio, enunciatum hoc demonſtrare, *Ego ſum*. Item alibi, *Optime*, inquit, *ratiocinatur Car-*

Pag. 31. Pag. 23. Pag. 44. Pag. 49. & ſeq. & pag. 25. Pag. 13. 14. 25.

teſius, cùm *ait*, *Ego cogito*, *ergo ſum*, in eoque argumento haberi fatetur præmiſſas, ut vocant, propoſitiones, & conſequentiam, atque id eſſe enthymema, quo ſyllogiſmus continetur. Et rurſum
Pag. 25. tradit Carteſium ita differentem, *Ego cogito*, *ergo ſum*, uti Analyſi ad cognoſcendam ſuam *exiſtentiam*. Quid aliud eſt autem Analyſis, quam ratiocinationis quoddam genus? Alias Philoſophi hujus noxas prodamus. *Circulum* vocant Dialectici, ſive *petitionem principii*, vitioſam hanc ratiocinationem, qua quæſitum ſumitur pro conceſſo, ſive ut Græci loquuntur, λαμβάνεται ἐν τῷ ἀρχῇ. Valde familiarem eam eſſe Carteſio probat Cenſura noſtra, ut minime mirum ſit hoc duce in eam diſcipulos ipſius impegiſſe. Cùm quæreretur, an certum nobis ſit nos exiſtere, quod dubium viſum fuerat Democrito & Academicis, demonſtrare id conatus fuerat Carteſius hoc argumento, *Ego cogito*, *ergo ſum*. Nos oſtendebamus incertum probari per incertius, nec quidquam ex hac ratiocinatio-

tione colligi . Reſpondet Carteſianus noſter ad ſectionem undecimam primi capitis, eam non eſſe ratiocinationem, quippe cujus concluſio ex ſe nota ſit, ea nimirum, *Ergo ſum*. In quo ſumit quæſitum pro conceſſo, nempe an certum ſit Carteſio, ſe exiſtere. Cùm fidem luminis naturalis dubiam haberi jubeat in ipſo aditu Carteſiana Philoſophia, quod falli ſæpe nos contingat in rebus clariſſimis, Geometraſque ipſos ſæpe fallat lumen naturale, in eo tamen falli nos negat novitius ille ſcriptor, *Quidquid cogitat, eſt: ego cogito, ergo ſum*; quippe hoc mihi cognitum eſſe lumine naturali, cujus fides dubia non eſt. Quid eſt autem circulus, ſi hoc non eſt? Ecce tibi jocularem aliam hominis ejuſdem ratiocinationem. Scire non poſſum me eſſe, quin & ſciam me non ſemper falli a Deo: ſcire autem non poſſum me non ſemper falli a Deo, quin ſciam me eſſe. En cor Zenodoti: en jecur Cratetis. Strictim hæc delibamus. Nunc ſectæ hujus inſcitiam declaremus

Pag. 49. 50. 51.

Reſponſ. ad cap. 1. ſect. 12. pag. 60.

Reſponſ. ad cap. 1. ſect. 12. pag. 66.

exemplis aliquot. Cùm Certeſianam dubitationem ſimilem eſſe ſcribit nuperus Philoſophus, dubitationis Socraticæ, Platonicæ, & Carneadeæ; & quid a dubitatione Scepticorum differat, definire audet; in eo, ut & in aliis pleriſque, veteris Philoſophiæ plane imperitum ſe prodit. At aſpernari ſe ajunt rancida hæc veterum deliria: aſpernentur verò, dummodo ne fingant ſe ſcire, quæ neſciunt. An & aſpernantur Carteſii ipſius Philoſophiam, quam defendunt? incredibile ſane eſt & tamen veriſſimum, pleraque ejus capita hunc Philoſophiæ Carteſianæ propagatorem ignoraſſe: cùm jactare nihilominus ſoleant Carteſiani, ſolos ſe Carteſii mentem tenere. Unicum dabimus exemplum, quod eſſe poſſit inſtar omnium millium. Scripſeram placitum eſſe Carteſio, ea facere Deum poſſe, quæ repugnent; puta rem ſimul eſſe & non eſſe; totum non eſſe majus ſua parte. Contradicit ille Scriptor, negatque id umquam vel ſenſiſſe, vel ſcri-

Reſponſ. ad exp. 1. ſect. 2. pag. 4.

pſiſ-

pſiſſe Carteſium. At clariſſimè tamen & liquidiſſime traditum id ab eo extat in Epiſtola ad Morum, aliiſque Epiſtolis, & in Reſponſionibus ad ſextas Objectiones. Jam verò quam ſupinus error eſt, lumen cum viſione confundere? factum id tamen eſt ab auctore noſtro. Nam comparare mentem oculo, cogitationem viſioni, rem cogitatam rei viſæ, quod factum a me eſt, hoccine verò eſt cogitationem lumini comparare, quod factum a me aſſeverat iſtud Carteſianarum partium columen? Quam abſurdum vero quod addit, tria ineſſe in lumine, oculum, qui videat, actionem, per quam oculus videat, rem viſam ab oculo? Itane, mi homo? Cùm initio rerum dixit Deus, *Fiat lux*, *& facta eſt lux*, an ſimul procreavit oculos, qui lucem viderent, de quibus ſiluerit Moſes? Quàm ineptum eſt, quod ait, argumentum hoc, *Ego cogito*, *ergo ſum*, ſimplex eſſe axioma; atque item propoſitionem hanc, *Ego ſum*, axioma eſſe, quod non egeat de-

Cart. Epiſt. tom. 1.

Reſp. ad Epiſt. 67.

Reſp. ad ſext. Objeſt. ſect. 6. 8.

Reſp. ad cap. 1. ſect. 9. p. 35. 36.

Reſponſ. ad cap 1. ſect. 7. pag. 25. & ad ſect. 12. pag. 50.

demonſtratione? At nos audiveramus in ſcholis, axioma eſſe propoſitionem quamdam univerſalem, ex ſe cognitam, cujuſmodi ſunt Axiomata Euclidis. An verò propoſitio iſthæc, *Ego ſum*, eſt univerſalis, quæ ad me unum pertinet? An ex ſe cognita eſt, quam in dubium revocavit Democritus, & quam tanto conatu probare inſtituit Carteſius? Nec me fugit Dialecticis Græcis dictum eſſe ἀξίωμα, plenam, ac perfectam verborum ſententiam, quæ neceſſario vera ſit, aut falſa. Sed hoc nihil ad ea, de quibus diſputat his locis nuperus Philoſophus, ut res ipſa loquitur, & verba ejus declarant. Mitto puerilem hunc errorem, *Criterium* vocabulum eſſe Latinum*. Nam Græcæ, Latinæque Linguæ imperitia gloriantur Carteſiani. Itaque dum noſtra Gallice reddit ille, vix me, meaque in ipſius verbis agnoſco. Velut cum argumenti concluſionem, quam nullam eſſe dixeram, falſam interpretatur. Quaſi nihil differant, concluſio nulla, & con-

Reſponſ. ad cap. 2. ſect. 1. pag. 76. 77.

Reſponſ. ad cap. 1. ſect. 9. pag. 32.

concluſio falſa. Argumenti hujus, Omne animal eſt vivens, Petrus eſt ſanctus, ergo Petrus eſt vivens, concluſio nulla eſt; & tamen falſa non eſt. Dixeram ſignificationem quamdam enuntiato ſuo affictam fuiſſe a Carteſio: Reſp. ibid. ſignificationem fictam, nec naturalem interpretatur ille. Sciret verò aliud eſſe fingere, aliud affingere; ſciret præterea enuntiato contineri poſſe ſignificationem, non naturalem, ſed translatam, neque tamen fictam. Cum capite ſexto ſententiam Carteſii de ortu mundi hujus aſpectabilis exponerem, dixi materiam primi elementi continuato motu tenuiorem magis magiſque fieri, *neque ullum eſſe moliture hujus, ac triture modum*. Hæc ille ſic interpretatus eſt, *nullam ipſis ſupereſſe vel molem certam, vel figuram*. Nam qui legitimum cum iis habere congreſſum, & ſermonem queas, qui te non intelligant? Minuta iſta ſunt, præ ut graviora afferam, quæ non per inſcitiam, ſed data opera perperam ab eo interpolata, truncata, con-

confiċta ſunt, ut per fas & nefas ſerviret cauſæ: cujuſmodi illud eſt, quod ſcripſeram: *Cùm fluxa ſit autem & infirma hominum memoria, ad aliud lemma facile referri poteſt conſecutio, quam ad id, unde profecta eſt.* Ac ne quis in diſtinctione rerum veterum & recentiorum cavillaretur, quod oblivioni minus obnoxiæ ſint recentiores, quàm veteres, continuo ſubjeceram: *Simile quid nobis in quotidiana familiaris ſermonis conſuetudine uſuvenire ſolet, cum aliquantum dicendo progreſſi, unde ducta ſint concluſiones, in quibus hæremus, & quorſum referendæ, non ſatis meminimus.* Ne ſibi diſtinctionem illam, quam dixi, quantumvis inanem, eripi pateretur, totum hoc comma in interpretatione ſua prætermiſit. Inſignis & illa eſt diſſimulatio, cùm memorabilem Thomæ locum ſupprimit, quo decernitur, *alium eſſe actum, quo intellectus intelligit lapidem; alium, quo intelligit ſe intelligere lapidem.* Quippe negaverat Carteſius, aliam eſſe cogitationem,

Cenſur. Philoſ. Carteſ. cap. 1. ſect. 9.

Reſponſ. ad cap. 1. ſect. 9. pag. 31. 36. 37.

Reſponſ. ad cap. 1. ſect. 10. p. 41.

Thom. par. 1. qu. 87. art. 3. ad ſecundum.

nem, qua cogito me eſſe, aliam, qua cogito me id cogitare. Cum cœteroquin Thomæ patrocinium libenter aſciſcat ſchola Carteſiana. Quid quod nequiter, & dolo malo falſitatis nos inſimulat, quod an virum philoſophum atque probum deceat, ipſe exiſtimet. Dixi Carteſium docuiſſe, Deum errorum noſtrorum auctorem fingi non poſſe, etiamſi erroribus obnoxios nos effecerit. Locum adnotavi ad oram; nempe, *Partem primam Principiorum, ſectionem vigeſimam nonam, & ſequentes*. Quid ad hæc animadverſor ille noſter? *Minime*, inquit, *hæc extant in ſectione hæc vigeſima nona*. Cur de ſequentibus, quas itidem ut vigeſimam nonam indicavi, ſiles, ò bone vir, & in reſponſione tua, & in interpretatione verborum noſtrorum? Nempe calumniæ tuæ latebram quæris, dum temere nos falſitatis accuſas: quippe hæc plane ſcripta extant in ſectione triceſima ſexta Carteſii, quæ una ſane eſt ex his, quæ ſequuntur vigeſimam nonam. En tibi verba ipſa Carte-

Reſponſ. ad cap. 1. ſect. 12. pag. 57. 22.

te-

teſii : *Neque tamen ullo modo Deus errorum noſtrorum auctor fingi poteſt , propterea quod nobis intellectum non dedit omniſcium .* Hujuſmodi vernilibus technis ſe tuetur cauſſa Carteſianorum . Ita fallaciis , & falſitatibus ad veritatem graſſantur . Damus hic & aliam exquiſitioris notæ . Poſitum erat in quæſtione , an iſtæ propoſitiones , *Ego cogito , ergo ſum* , nobis cognitæ eſſent *per ſimplicem* , uti vocant *viſionem* , an per ratiocinationem . Quæ cum defendere ſe poſſe deſperaret Philoſophus iſte, a quæſtione hac ad aliam callide nos traducere conatus eſt ; iſtam videlicet, an noſtra nobis ex ſeipſa cognita ſit *exiſtentia* . Quæ longe utique diverſa ſunt . Ac primum verba noſtra falſa interpretatione pervertit. Nam cum ita ſcripſiſſem : *Carteſius , ejuſque affectatores , ut duo hæc , Ego cogito , ergo ſum , quæ facile divelli poſſe proſpiciebant , firmius adſtringerent , dicere auſi ſunt , nobis hæc eſſe , non per ratiocinationem cognita , ſed per ſimplicem viſionem.*

Reſponſ. ad cap. I. ſect. 11. pag. 48. & ſeq.

Ita

Ita hæc ab interprete noſtro depravata ſunt : *Carteſius , ejuſque aſſectatores , cum duas haſce propoſitiones , Ego cogito , ergo ſum , facile divelli poſſe proſpicerent , dixerunt nos noſtram exiſtentiam non per ratiocinationem cognoſcere , ſed per ſimplicem viſionem .* Diſputamus de duabus hiſce propoſitionibus , *Ego cogito , ergo ſum:* avocat nos ille ad diſputationem de noſtra *exiſtentia* . Mox iſta ſubjecimus ; *Si totum iſtud , Ego cogito , ergo ſum , meram eſſe ratiocinationem docuero , nec per ſimplicem viſionem noſci poſſe , incertum hoc eſſe utique probavero ; falli vero , vel fallere , qui ratiocinationem negant eſſe ratiocinationem* . Quæ in ſincera hac interpretatione adulteravit : *Si duas haſce propoſitiones , Ego cogito , ergo ſum , meram eſſe ratiocinationem docuero , nec eam , quæ his continetur veritatem , per ſimplicem viſionem noſci poſſe , incertum hoc eſſe & dubium ſimul probavero* . Quærebam ego , an duæ iſtæ propoſitiones nobis per ſimplicem viſionem ſint cognitæ :

quæ-

quærit ille in ſua interpretatione, non de propoſitionibus ipſis, ſed de veritate, quæ iis continetur, de noſtra nimirum *exiſtentia*. Pergit deinde in eadem ludificatione: nam cum iſta addidiſſem: *Neſcire ſe profitetur Carteſius in aditu Philoſophiæ ſuæ, an ſit. Ut autem ad rei hujus ignotæ notitiam perveniat, quærit aliquid, quod ſibi ſine ulla dubitatione cognitum ſit. Id eſſe vult, Ego cogito*. Quæ poſtrema ita interpolavit: *Quærit exiſtentiam rei, de qua dubitare non poſſit*. Monueram poſtmodum Lectorem, liquido apparere in ſecunda Carteſii Meditatione, progreſſionem mentis per cognitionem cogitationis ſuæ, ad perceptionem rei prius incognitæ, nempe ſe eſſe; ac proinde ratiocinationem eſſe illud, *Ego cogito, ergo ſum*. Hæc una litura ipſe induxit. Rebus ita demum ad ſtruendam fraudem paratis, quaſi id ageretur inter nos, an noſtra *exiſtentia*, non autem argumentum illud, *Ego cogito, ergo ſum*, per ſimplicem viſionem, non per ratiocinationem

nem

nem ſit cognita, exultat deinde in quæſtionis hujus tractatione, minimeque ad ipſam pertinere oſtendit, quæ in eam a nobis neutiquam allata ſunt, ſed in quæſtionem de hoc argumento, *Ego cogito, ergo ſum*. Plura afferre poſſem hujuſmodi, ſed hæc profecto ſunt ſatis; unde intelligi poſſit, quid veri ex Carteſiana Philoſophia, quid ſani, quid ſinceri ſit expectandum. Frons ſpecioſa, fateor, magnifici aditus, ſplendida promiſſa. Opinionum emendatio, medicina errorum, veritatis adeptio. Figmenta in receſſu, ſomnia, aut ſi quid ſomniis inanius eſt: ſumma liberalium diſciplinarum imperitia, atque imprimis veteris Philoſophiæ, ob idque affectata ejus deſpectio; quam ſi cognoſcerent, quantum eos puderet ſuæ! Tricæ in diſputando, fallaciæ, offuciæ, omnia ad pompam & oſtentationem compoſita; nec eſſe, ſed videri. Ad hunc noſtrum adverſarium quod attinet, ſi iſthac animadverſione non reſipiſcat, de illo certe jam finem faciam di-

cen-

cendi mihi, cumque ſperandum non ſit, ut dediſcat ſenex, quæ tot annos didicit & docuit, ſupereſt ut ipſum demum

Diſcipularum inter jubeam plorare cathedras.

CEN-

CENSURA PHILOSOPHIÆ CARTESIANÆ.

Ad Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Ducem CAROLUM SAMMAURÆUM MONTAUSERIUM, Franciæ Parem.

PRÆFATIO.

I. Exordium. II. Libri argumentum. III. Idem tenebitur ordo diſputationis, quem ſecutus eſt Carteſius, quoad ejus fieri poterit.

I. QUÆSIVISTI ex me ſæpenumero ILLUSTRISSIME DUX, quid ſentirem de Carteſiana Philoſophia, quæ ita placuit huic ætati, hominumque etiam acutiſſimorum animos novitate ſua ita cepit, ut præ ea pe-

I. *Exordium.*

pene jam obſoleverint reliquæ Philoſophorum diſciplinæ. Cumque intellexiſſes parum omnino mihi eam probari, rogaſti identidem argumenta ſententiæ hujus, quæ ego pro re nata, ſæpe breviter, fuſius nonnumquam, candide ſemper expoſui. Tunc vero præcipue actum memini id eſſe inter nos, cum pro inſigni ſua pietate & ſapientia Rex Chriſtianiſſimus, vel ſcribendo, vel docendo propagari vetuit doctrinam hanc, utpote lubricam ac noxiam; tuque mirareris audaciam factionis hujus, quæ velut per coitionem pugnaret adverſus interdictum, nec à labe ſua in vulgus ſpargenda abſtineret. Tum enim aliquid nactus otii, idem contendebas acrius, meque res ſtrictim delibantem ita laceſſebas, vel contradicendo, vel interpellando, vel quæſtiones ex quæſtionibus ſerendo, ut cauſſam hanc, particulatim quidem, ſed pene totam tamen extorſeris. Multa aſſentiebare tu quidem, at hæc præcipue quæ attuleram, neminem majori apparatu & pompa à dubitatione Philoſophiam ſuam exorſum eſſe, quàm Carteſium; neminem tam confidenter, tamque affirmate & indubitanter de rebus obſcuriſſimis, ſibique plane ignotis aſſeveraſſe, ſæpe leviſſima ratione reddita, aliquando & nulla: cumque Fidei, quæ à Deo proficiſcitur, ſubmittere deceat Philoſophiam, quæ mentis humanæ fœtus eſt, hunc contra exegiſſe fidem ad Philoſophiæ ſuæ præcepta: quod & plurimis notationibus ſane quam argutis confirmabas; mihique valde auctor eras ad ea colligenda argumenta quæ propoſueram, ſcriptiſque tradenda. Ego tergiverſari primum, & vehementius deinde inſtanti tibi multa opponere; tot paratos adverſarios, viros ſolertes, pervicaces, vehementi par-
tium

tium illarum ſtudio incenſos; cujuſmodi ferè amor eſt novitatis; impoſitum nobis recens onus, nataſque ex eo aſſiduas ſollicitudines, occupationes infinitas, gravioribus ſtudiis diſtractum animum, qui nec facile poſſet ad hæc leviora revocari; quæ mihi quondam aliam agenti vitam, aliam perſonam ſuſtinenti, non indecora fortaſſe viſa ſint, dum tempus tulit; nunc ſacris addicto parum conveniant. Tu pertendebas contra vel ob id ipſum rem ſuſcipiendam: ecquem enim magis decere tutelam ſanctæ Religionis, earumque doctrinarum oppugnationem, quibus illius violatur integritas, quam hominem pii ſacrique ordinis? præſtitam hanc olim Fidei Chriſtianæ operam à ſanctis Eccleſiæ Patribus adverſus profanos Philoſophos, quorum auctoritas in rebus ad ſalutem æternam pertinentibus vel leviſſima erat, vel plane nulla; multo id præſtandum magis adverſus hominem Chriſtianum, cujus diſciplina Chriſti placitis contraria momenti eſt & exempli graviſſimam perniciem in poſterum trahentis: adverſariorum vero vel vim vel multitudinem, ei qui veritatem tueatur, parùm eſſe extimeſcendam. Alia ad hæc plurima cum adjeciſſes, perviciſti tandem, manuſque dedi: quis enim omnium hominum eſt cujus conſiliis ac prudentiæ plus tribuam? qui auctoritate plus valere debeat apud me? Nec enim mihi ex prædicatione tantum hominum cognita ſunt eximia in te, vel à natura, vel à ſtudio, vel à fortuna collata ornamenta: magnus ſupra vulgus hominum dignitatis ſplendor, animus ſupra dignitatem, parta ingens ex bellicis laudibus gloria, experrectus vigor ingenii, exquiſita diſciplinarum omnium ſcientia, rara in hoc faſtigio comitas & humanitas, profu-

ſa in omnes liberalitas, quæque virtutum omnium tuarum apex eſt ſincera in Deum conſtanſque pietas. Hæc mihi, inquam, non ex fama, ut cæteris, ſed ex intima admiſsione, multorumque annorum uſu perſpecta, ſæpe à me admirationem, amorem, ſi ita pateris, numquamnon expreſſerunt. Præſertim cum maxima tua in me extent beneficia. Me enim hominem, provincialem, & adhuc juvenem, nec quicquam de te meritum, patrocinio tuo complexus es, exornaſti commendatione, benevolentia pene provocaſti. Quorum memoria ut animo infixa penitus hæret, inſidetque meo, ita omnibus hominibus proditam, & in futurum tempus hìc conſignatam eſſe cupio: ut quam in me beneficus fuiſti & benignus, tam me erga te gratum eſſe clariſsimo monumento teſtatum ſit. Nunc ea quæ apud te diſputata ſunt olim, quæque in hunc concluſi librum, æquo animo recognoſce. Horum ſi te, uti tum extimatorem & judicem, ſic nunc defenſorem habuero, parum equidem moratus aliorum judicia, in tuo favore facillime acquieſcam.

II. Age igitur, quando ita vis; Carteſianæ Philoſophiæ rimemur fundamenta, vitia perſequamur; non omnia quidem, ſed præcipua & capitalia: quibus exploratis & detectis, laborantis ædificii ruinam cavebimus. Dura ſane provincia, atque etiam invidioſa. Fuit enim Carteſius auctor naturæ verique neque meo judicio ſordidus, quæ laus fuit Pythagoræ; & ſuo, aſſectatorumque, locupletiſsimus & certiſſimus: priſcis certe illis naturæ interpretibus æmulus, ſi non par quidem, at aliquibus certe, quorum magna exiſtimatio eſt,

II. *Libri Argumentum.*

eſt, non multo inferior. Is veteris Philoſophiæ labes acute perſpexit: quas cum non facile reparari poſſe crederet, novæ conditor eſſe maluit, quam veteris emendator. Multa ejus extant ſubtiliter cogitata, perveſtigata ſagaciter, ſolerter inventa. Quod ſi huic ſuæ hæſerunt noxæ, homo fuit; & ea ſcrutatus eſt, quorum notitiam longe ab hominum mentibus certo Dei Conſilio remotam eſſe non ſatis intellexit. Et hæſerunt ſane plurimæ, dum præceps animus, nimiumque amator ac mirator ſui, culpas in aliis acute deprehenſas, turpiter in ſe concepit: foris oculatus, cæcus domi.

III. Inſtitutæ adverſum hæc diſputationis non alius mihi tenendus videtur ordo, quàm quem ipſe ſecutus eſt: quippe cum conſertam doctrinæ ſeriem, ex ſe aptam, ſibique connexam texere ſtuduerit, & quædam jecerit fundamenta, quibus univerſa Philoſophiæ ſuæ moles niteretur, ſcrutanda præcipue ea ſunt; & ad perpendiculum & normam exigenda: ut ſi parum iis conſentire deprehenſa ſint: à ruinoſo & caduco ædificio, uti mox dictum eſt, receddamus.

III. *Idem tenebitur ordo diſputationis, quem ſecutus eſt Carteſius, quoad ejus fieri poterit.*

CAPUT PRIMUM.

Expeditur Carteſii ſententia de dubitatione, & de hac argumentatione, *Ego cogito, ergo ſum.*

I. Philoſophiæ Carteſianæ fundamentum eſt dubitatio. II. Cur in dubitatione Philoſophiæ ſuæ fundamentum poſuerit Carteſius. III. Dubitandi propoſitum ante deſerit Carteſius, quam teneat. IV. Primam veritatis notitiam in eo ſtatuit, Ego cogito, ergo ſum. V. In quo ponit ut conceſſum id quod quæritur. VI. Ex hoc enuntiato, Ego cogito, non certo colligi poteſt iſtud, Ergo ſum. VII. Notio hæc, Ego cogito, Ergo ſum, non eſt omnium prima. VIII. Sibi contradicit Carteſius, iis quæ lumine naturali nobis nota ſunt, fidem aliquando tribuens, aliquando detrahens. IX. Enuntiato hoc, Ego cogito, aliud ſignificatur quam quod vult Carteſius; ac proinde ducta ex eo concluſio, Ergo ſum, nulla eſt. X. Cum quis cogitat de re aliqua, non eadem eſt idea rei hujus de qua cogitat, ac idea ipſius cogitationis. XI. Falſum eſt iſtud. Ego cogito, ergo ſum, nobis cognitum eſſe per ſimplicem viſionem, non per ratiocinationem. XII. Ex hoc dubitandi argumento, quod à Carteſio propoſitum eſt, neſcire nos annon ita comparati ſimus à Deo, vel à malo aliquo Genio, ut ſemper fallamur, refellitur iſtud, Ego cogito, ergo ſum. XIII. An verum ſit, Deum nos fallere non poſſe in iis rebus, quas cognoſcimus per ſimplicem viſionem. XIV. Carteſius in exorſu Philoſophiæ Academicos & Scepti-

pticos affectatus, ſtatim errat, ut eos deſerit. **X V.** *Fatetur Carteſius nullam nos habere veritatis normam, niſi conſtet nos ita à Deo non eſſe factos, ut ſemper fallamur.*

I. PHiloſophiæ totius ſuæ fundamentum Carteſius in dubitatione conſtituit. Fundamentum dico eo ſenſu, quo Vitruvius(1) fundamenta appellat exinanita foſſionibus & exhauſta loca, ad excipiendas ſolidas ſubſtructiones. Nec vero leviter aut oſcitanter dubitare nos jubet, ſed ita ut univerſa pro incertis, ac ne incertis quidem, ſed omnino pro falſis habeamus, non modo quæcunque antehac incerta aut veriſimilia, ſed & quæ certiſsima nobis eſſe viſa ſunt; ne exceptis quidem illis principiis, quæ per ſe & lumine naturali nota eſſe dicuntur: cujuſmodi ſunt ea, Bina binis addita efficere quatuor, Totum eſſe majus ſua parte, & Quæ uni alicui æqualia ſunt, inter ſe eſſe æqualia; ac proinde lege hac quoque comprehenſis Geometrarum, quæ his notionibus nituntur, Theorematis. Corpora quæ videmus, quæ tractamus, mundum univerſum nobis circumfuſum, pro figmentis animi habenda eſſe ſancit; ac nos ipſi quoque an ſimus, pro incerto putandum. Quam adeo latæ patentem dubitationem omnia omnino comprehendere manifeſtum eſt; adeo ut nihil prorſus certi ſibi reliquum faciat animus; in quo poſſit conſiſtere. Quæ cum inficiari audent nuperi ſectæ hujus patroni, vel produnt magiſtri ſui cauſam, vel doctrinam ignorant. Quam ſæpe enim, quam cla-

I. *Philoſophiæ Carteſianæ fundamentum eſt dubitatio.*

(1) *Vitruv. lib.3.cap.3.*

clare ſancitum ab eo eſt, ſemel ejus oportere à fundamentis & everti priſtinas omnes opiniones, quantumlibet veriſimiles, & pro falſis habere quæcunque certiſsima fuerant viſa? Deinde cum revocari jubet in dubium, quidquid videbatur veriſſimum; dubia autem omnia pro falſis habere; annon veriſſima pro falſis haberi jubet?

II. Cauſas præcepti hujus iſtas affert Carteſius, quod ſenſus fallaces eſſe ſæpe experiamur; quod plurima ſecundum quietem ſentire videamur, quæ nuſquam ſunt: nec quæ nobis in ſomnis apparent, internoſcere poſſimus ab iis quæ vigilantes ſentimus; quod obſcura ſit & lubrica humana ratio; quod neſciamus denique an tales nos fingere voluerit Deus, ut ſemper falleremur, etiam in iis quæ nobis viderentur eſſe notiſsima. Animadvertendum diligenter & circumſpiciendum, iſta quid velint, quo pertineant; ne poſtquam nos, ſeque adeo ipſum intra has anguſtias concluſerit Carteſius, atque his inſcitiæ tenebris circumſepſerit, nobis incautis & inſcientibus eripere ipſe conetur, & in apertum ſcientiæ lumen evadere. Dubitandum eſt, inquit, de omnibus, nulla omnino exceptare, ut vitentur errores, & ad veritatem perveniatur; quia ſenſus & ratio ſæpe nos fallunt; hoc eſt (ne quis in vocabulorum uſu vitilitiget) falſo judicamus de iis quæ ſenſuum ope percipimus; & ratiocinandi facultate quæ in nobis eſt male utimur; nec ſcimus, an tales nos Deus creaverit, ut ſemper fallamur. Ex hoc effato aditum ſibi facit ad Philoſophiam: hinc Meditationes ſuas, hinc Principia Philoſo-

II. *Cur in dubitatione fundamentum Philoſophiæ ſuæ poſuerit Carteſius.*

loſophiæ exorſus eſt: hæc inculcat paſſim, hæc ingerit. Veram autem eſſe ac ſeriam dubitationem hanc, non fictitiam ac jocularem; ex rerum ipſarum arceſſitam natura, non ex dubitandi tantum argumentis petitam, nec animi gratia adhibitam, ipſemet declarat Carteſius(1), ſeque non leviter & inconſiderate dubitare ait, ſed ſerio, validiſque & meditatis rationibus ad dubitandum eſſe adductum, & per multos annos in hac dubitatione permanſiſſe. Nec aliam porro quam veram ac ſeriam dubitationem poſtulant argumenta dubitandi ab eo propoſita; velut viſorum ſimilitudo, quæ dormientium & vigilantium mentibus obverſantur; ac plane conſimilem dubitationis Scepticorum quæ vera & ſeria dubitatio fuit; hoc tantum diſcrepantem, inquit Carteſius(2), Scepticæ doctrinæ valde inſcius, quod dubitationis Scepticæ unicus eſſet finis dubitatio, quæ & ad ipſa etiam vitæ munia pertineret; ſuæ vero finis eſſet indagatio veritatis. Quamobrem ne præſtentiſſima quidem ingenia dubitationem tollere poſſe affirmat,(3) quæ oritur ex viſis dormientium & vigilantium, niſi Deum eſſe agnoſcant. Quod de fictitia dubitatione dictum ab homine ſano nemo autumet. Ergo cum dubitationem ſuam *metaphyſicam* & *hyperbolicam* appellat Carteſius(4), non fictitiam intellexit aut falſam, quod putant aut putare fingunt ejus aſſeclæ, in vocabulorum illorum ambiguitate latebram pertinaciæ pro more ſuo quærentes, ſed quæ contineretur intra Metaphyſicæ fines, nec ad vitæ

 uſum

(1) *Cart.Medit.1.Reſp.ad 5.Object.*
(2) *Cart.de Method.§.3.*
(3) *Cart. de Meth.§.4.*
(4) *Cart.Medit.3.& 6.Reſp.ad 3.& 7.Object.*

uſum adhiberetur: cum cæteroquin dubitatio non ſit, uti fatentur ipſi, nec uſui eſſe poſſit ad inquiſitionem veritatis; ſed opportuna tantum ad contradicendum; adeo ut ex uſu & commodo diſputantium dubitatio ſit, aut non ſit.

III. In quibus id primum reprehenſione dignum eſt, quod qui ad percipiendam veritatem dubitare de omnibus inſtituerat; ut melius dubitaret, res non modo pro incertis, ſed omnino pro falſis habendas eſſe decrevit. Quod ejus propoſito palam adverſatur. Nam qui rem habet pro falſa, non plus de ea dubitat, quàm qui habet pro vera: aſſentitur enim, credit, & affirmat eſſe falſam. Qui autem aſſentitur, credit, & affirmat, non dubitat; ſed qui aſſenſum retinet, & incertum habet an res vera ſit, vel falſa. Nec Carteſium juvant, qui res ipſum *hypothetice* tantum falſas habuiſſe volunt, nam cum & *hypothetice* de iiſdem dubitaſſe eum contendant, ſequitur res eaſdem *hypothetice* falſas ſimul & dubias ipſum: hoc eſt (ut omnis vocabulorum removeatur ambiguitas) res eaſdem ſimul poſuiſſe falſas & dubias, & manifeſtam repugnantiam in iiſdem rebus admiſiſſe. Nam quod falſum ponimus, de eo ſimul dubitare non poſſumus falſum ſit an verum.

IV. Mox deinde aliquam veritatis ſcintillam anxie quærens, hanc ſe reperiſſe primam putat; etiamſi ſemper fallatur, etiamſi dormiat ſemper & ſomniet, etiamſi à Deo ad perpetuam inſcitiam & errores damnatus ſit ab ipſo ortu, quoniam tamen de iis om-

III. *Dubitandi propoſitum ante deſerit Carteſius, quam teneat.*

IV. *Primam veritatis notitiam in eo ſtatuit, Ego cogito, ergo ſum.*

omnibus cogitat, ſe eſſe neceſſario: quippe (1) *repugnare* (verba ejus hæc ipſa ſunt) *ut putemus, id quod cogitat, eo ipſo tempore quo cogitat, non exiſtere*; primum hoc itaque, firmum, ſtabile, ac ſolidum veritatis omnis initium, & totius Philoſophiæ fundamentum hoc eſſe, Ego cogito, ergo ſum. Nunc hæc cujuſmodi ſunt, videamus.

V. Ajo primum à Carteſio poni, ut conceſſum, id quod quæritur: quærit enim an ſit, & merito; nam qui dubitare vult de omnibus, dubitare quoque debet an ſit, & de eo dubitare profeſſus eſt Democritus. Tum ut probet eſse ſe, Ego cogito, inquit, ſum igitur. Quid eſt vero illud. Ego? nempe res aliqua, quæ eſt. Quærit autem an ſit: & ſumit ſe eſse. Sumit igitur quæſitum pro conceſso. Quid hoc eſt deinde, Ego cogito? hoc ſcilicet, Ego ſum cogitans. Unde concinnatur hoc argumentum, Ego ſum cogitans, ergo ſum. Quod argumentum recidit in Chryſippeum illud, Si lucet, lucet: lucet autem: lucet igitur. Si ſum, ſum: ſum autem: ſum igitur. In quo ſumo me eſse, ut probem me eſse, & admitto vitioſum illum in argumentando circulum. Reſpondent Carteſiani illud *Ego*, non eſse rem quæ ſit, ſed rem quæ cogitet: vel etiam ſi ſit, non adhiberi tamen à Carteſio, ut quæ ſit, ſed tantum ut quæ cogitet. At hæc quam infirma ſint, cognoſcitur ex natura enuntiatorum omnium, in quibus geminum eſse terminum Dialectici docent; minorem, quem *Subjectum* appellant; majorem, quem *Prædicatum*, ſive *Attributum*; qui niſi diverſi ſint, vanam fore propoſitionem. Quorſum enim quis dicat,

(1) *Princip. Philoſ. Part.* 1. §. 2.

V. *In quo ponit ut conceſſum, id quod quæritur.*

Petrus eſt Petrus? Nunc ſi hanc Carteſii propoſitionem *Ego cogito* explicemus, prodibit iſthæc, *Ego ſum cogitans*, in quasi illud *Ego* sit res tantum quæ cogitet, non res quæ sit, vanum erit illud enuntiatum, quippe cujus geminus terminus idem plane sit, nempe *Res cogitans eſt res cogitans*; nec inde ſequetur quæsita concluſio, *Ergo ſum*; Quod si pertendant Carteſiani propoſitionem hanc *Ego cogito* non ita eſse explicandam, *Res cogitans eſt res cogitans*, dicant neceſse eſt hanc eſse enuntiati hujus ſententiam, *Ego cogitans ſum cogitans*, in quo iterum prodit illud *Ego*, quo plane continetur notio rei quæ ſit. In hoc præterea enuntiato, *Ego ſum cogitans*, vocula iſta *ſum*, quæ copula eſt utriuſque termini, furtim hic indicat rem quæ ſit: cuicunque enim adjungatur rei, notionem ei tribuit *exiſtentiæ*. Cum igitur priores illæ duæ voculæ, *Ego ſum*, notionem *exiſtentiæ* adjunctam habeant, fruſtra ad eam aſſequendam tertia illa *cogitans* adjicitur; quæ *medius terminus* erit, ſi in ſyllogiſmi formam quadremus argumentum, *Quod eſt cogitans, eſt: Ego ſum cogitans: Ergo ſum.* Quippe ſi inde removeamus vocem *cogitans*, utpote ſupervacuam, ſupererit hæc ratiocinatio, *Quod eſt, eſt: Atqui ſum: Ergo ſum*: quæ plane gemina eſt Chryſippeæ hujus, *Si lucet, lucet: Lucet autem: Lucet igitur.* Præterea cum ita ſe cogitare, non modo ſumit ſe eſſe, ſed eſſe ſe rem agentem; in quo ſumit tanquam certa & confeſſa, & rem quæ ſit, & actionem rei hujus. Scimus autem extitiſſe viros acutos & doctos, qui Carteſio in argumenti hujus inventione glorianti reſponderint olim, nihilo certius eſſe illud, Ego cogito, ac cætera omnia, quæ ab eo pro falſis habita ſunt. Et recte ſane: nam qui dubi-

dubitat an ſit, dubitare poteſt an cogitet. Atque id non alio præſidio defendere potuit Carteſius, quam quod ſibi ipſe eripuerat; lumine videlicet naturali, cui omnem omnino fidem detrahi juſſerat. Hinc expedire ſe putant Carteſiani, cum dicunt res nobis per cogitationem eſſe cognitas; cogitationem per ſeipſam. Quod longe ſecus eſt: nam cogitationem, perinde ut res cæteras, etiam quas cognoſcimus lumine naturali, non aliter cognoſcimus, quam cum mentem in eam retorquemus; hoc eſt, cum de ea cogitamus per novam cogitationem. Aliud enim eſt, de Sole cogitare. Prioris iſtius cogitationis Sol terminus eſt, poſterioris prior illa cogitatio. Non autem ex priore elicitur iſthæc concluſio, *Ergo ſum*; ſed ex poſteriore. Atque hæc deinde uberius tractabantur. Jam magiſtri ſui præceptum illud, Ad cognoſcendum verum detrahendam eſſe fidem lumini naturali, cum ſic interpretantur, tantiſper detrahendam ei fidem, dum expendantur denuo res per id cognitæ; ac ne hæ quidem, ſed incertæ tantum & dubiæ, benigne ſane nunc nobiſcum agitur, cum tantus illo dubitationum Carteſianarum apparatus, tam exquiſitæ meditationes, tam ſevera illa lex, qua omnia habere jubemur pro falſis, ad id tantum redit, ut rebus incertis ne credamus temere; quod jam ante & à vilibus magiſtellis, & ab ipſis quoque nutricibus didiceramus. Quin etiam argumenti illius fundamentum hoc eſt, Qui cogitat, eſt: atque id præmitti debuit, ut argumentum legitimam hanc formam obtineret, Qui cogitat, eſt: ego cogito: ſum igitur. En iterum promiſſum deſerit Carteſius, fidemque fallit, & pro vero ſumit id quod non minus dubium eſt ac

reliqua quæ habenda duxit pro falſis. Adeo immemor eſt magnifici illius & generalis ſui propoſiti, omnia habendi pro falſis. In quo propoſito ſi perſeveraſſet conſtanter, uti decebat Philoſophum, quando occurrit iſtud ad ejus animum, Ego cogito, id quoque cum reliquis omnibus pro falſo habuiſſet. Sin eximendum illud erat ex generali illa lege omnia habendi pro falſis, temeraria fuit & incauta illa lex; cui antequam ſubmitteret animum, judicare debuerat nihilne eſſet ex ea excipiendum.

VI. Excuſsimus antecedens hoc enuntiatum, Ego cogito; videamus porro quid ex eo colligat Carteſius. Ergo ſum, inquit. Quid ſi negaverimus hoc ex illo concludi, unde ejus comprobandi argumenta depromet? Nempe ex regulis Dialecticæ: atqui omnia pro falſis haberi juſsit, ac idcirco regulas quoque Dialecticæ. Initio quidem, inquiunt Adverſarii, falſas habere ſe finxit cum cæteris omnibus, ſed veras demum comperit, poſtquam à ſe expenſæ ſunt. Primum qui ſcitis, ò boni viri, expenſas ab eo fuiſſe? Ego contra ſentio, parum omnino de iis cogitaſſe; paſſim enim Dialecticæ ſatis rudem ſe prodit. Expenderit vero & certas compererit; expenſæ quoque fuerunt ab Epicuro, & repudiatæ. Utri tandem habenda fides? Quid clarius hoc argumento, *Lucet, igitur dies eſt*? de connexione tamen geminæ hujus propoſitionis quanta contentio fuit Chryſippum inter, Philonem & Diodotum? Præterea non ſibi ſoli philoſophabatur Carteſius, ſed mihi quoque & omnibus iis, in quorum manus ſcriptiones ejus venturæ eſſent; nec id obſcu-

VI. *Ex hoc enuntiato, Ego cogito, non certo colligi poteſt iſtud, Ergo ſum.*

ſcure præ ſe tulit. Quamobrem nec ſibi ſoli expendere debuit regulas Dialecticæ, ſed mihi quoque, cæteriſque veritatis ſtudioſis. Nec enim, opinor, poſtulatis à nobis, ut quæcunque expenſa fuiſſe dicetis à Carteſio, iis illico animum ſubjiciamus. Quid ſi dicamus, etiamſi verum eſſe detur, eum eſſe qui cogitat, tamen eſſe quoque poſſe verum, eum non eſſe qui cogitat? Carteſii quippe ſententia eſt, efficere Deum poſſe, ut contraria & repugnantia enuntiata, vera ſimul eſſe poſſint. Unde ſequitur fieri poſſe, ut qui cogitat, ſit & non ſit. Quod ſi tam verum ſit, eum qui cogitat, non eſſe, quam eſſe, videat Carteſius ecquid certi argumentatione ſua poſſit efficere, ex qua tam contraria effici poſſunt. Inſtabit rurſum, ac repugnare dicet, in quod cogitat non eſſe cum cogitat. At nos quoque pari jure dicemus, repugnare id quod eſt, non eſſe cum eſt. Cum igitur hæc ſtare ſimul poſſe docuerit Carteſius, etiamſi repugnet; ſtare hæc quoque poſſunt, cogitare aliquem & non eſſe. Hanc doctoris ſui ſententiam abnormem licet & deliram, agnovere vetuſtiores Carteſiani: & deſeruere quidam, plures defendere: recentiores velut falſo ipſi affictam ab eo abjudicavere. Nempe puduit eos ineptiæ hujus: in re aperta veritati repugnare non puduit; cum Carteſium id ſenſiſſe negarunt, quod compluribus locis clariſsime traditum ab eo eſt. Velut cum ad Morum ſcribit(1), quidquid ſibi videtur poſſe fieri, Deum facere poſſe; nec negare ſe tamen, quin ea quoque Deus facere poſſit, quæ ſibi repugnare videntur. Sciſcit paſſim in

(1) *Cart. Epiſt. Tom.* 1. *Epiſt.* 67. 110. 112. 115. *Tom.* 2. *Epiſt.* 15. 16. 104. *Tom.* 3. *Epiſt.* 65. *Reſp. ad* 6. *Object.*

in Epiſtolis, Deum eſſentiæ rerum creatarum, itidem ut *exiſtentiæ*, auctorem eſſe; enuntiata æternæ veritatis, cujuſmodi illud eſt, *Totum eſt majus ſua parte*, non eſſe neceſſarias, habita De ratione; res idcirco eſſe veras aut poſſibiles, quod ita Deo viſum ſit; efficere denique Deum poſſe, ut res ſecum pugnantes ſimul extent. Quæ cum os eorum opprimant, qui hæc à Carteſio fuiſſe prodita negare auſi ſunt, eo confugerunt tandem, ut dicerent, id ſi ab eo propoſitum eſt, ex eo eſſe genere figmentorum, quæ extra metas rationis abeunt. At quandoquidem hæc & ſerio, & crebro dicta ſunt ab eo, & argumentis roborato, cum adverſus acutiſſimos viros doctrinam ſuam defenderet; non ut figmenta, ſed ut meditata dogmata, & ex intimo Philoſophiæ ſuæ penu deprompta protuliſſe judicamus. Fatetur is quidem animo percipi hæc non poſſe: quod alterum ejus flagitium eſt: cum unum hoc ſit ex primariis hujus doctrinæ principiis, ea tantum pro veris eſſe admittēda, quorum clara eſt in nobis & diſtincta idea; hoc eſt quæ clare & diſtincte percipimus.

VII. Huc accedit, quod propoſitioni huic (ſic enim appellatur à Carteſio) Ego cogito, ergo ſum, quam omnium primam eſſe putat, aliæ plurimæ præverti debuerunt: nec eæ ſolum quas ipſe vidit, velut hæc, Quidquid cogitat, eſt; ſed iſta quoque quæ anterior eſt & ſimplicior, Quidquid agit, eſt. Nec id quidem ſcire poſſimus, quin prius noverimus quid ſit agere, quid eſſe. Ut noſcamus autem quid ſit agere, noſcendum eſt, quid ſit agens, quæ cauſſa, qui modus, qui finis agendi. Rurſum ut noſcamus quid ſit

VII. *Notio hæc, Ego cogito, ergo ſum, non eſt omnium prima.*

ſit eſſe, noſcendum eſt quid ſit id quod eſt, quæ cauſſa cur ſit, quomodo ſit, quo fine ſit. Præterea regulas Dialecticæ perſpectas eum habere neceſſe ſit, quiſquis ex his funtionibus, Qui cogitat, eſt, Ego cogito, colligi certo putat concluſionem iſtam, Ergo ſum. Reſpondet Carteſius, quæcunque antecedunt notioni huic, Ego cogito, ergo ſum, lumine naturali eſſe cognita: at ego contra hæc longe ignotiſſima eſſe pertendo. At aliter ſe expediunt Carteſiani(1): præciſe enim negant propoſitionem hanc, Quidquid cogitat eſt, his præverti debere, Ego cogito, Ergo ſum; auctoritatem dictatoris ſui palam aſpernantes, qui cum cætera revocaret in dubium, id unum admitteret, Ego cogito, Ergo ſum, ſubjecit rationem hanc, velut opinionis ſuæ fundamentum, pugnare hæc inter ſe, id quod cogitat, eo ipſo tempore quo cogitat, non eſſe. Poſtmodum etiam ſcribit(2) conceptis verbis, ſe non negare, quin antequam ſciamus nos cogitare, ac proinde eſſe, ſcire debeamus fieri non poſſe, ut quod cogitat non ſit. Hoc autem nituntur argumento Carteſiani ex propoſitionibus ſingularibus educi propoſitiones univerſales; ideoque ex his propoſitionibus, Ego cogito, Ergo ſum, prodire iſtam, Quidquid cogitat eſt. Fatemur nos utique ſic cognoſci ea quæ cognoſcuntur per inductionem: velut illud, Omnis homo eſt animal; quia nullus unquam viſus fuit homo, qui non eſſet animal: ſecus ea, quæ ex ſeipſis, & lumine naturali cognoſcuntur; quale hoc eſt, Totum eſt majus ſua parte. Hæc in Scholis cognoſci dicuntur *à priori*, iſta *à poſte-*
rio-

(1) *Carteſ.Princ.Part.*1.§.7.
(2) *Carteſ.Princ.Part.*1.§.10.

Digitized by Google

riori. Cognoſcitur autem illud ex ſeipſo & lumine naturali, Quidquid cogitat eſt, ipſo auctore Carteſio. Nec proinde ex iſtis prodiit, Ego cogito, Ergo ſum. Cum utuntur autem exemplo trianguli, cujus ideam generalem ex ſingularibus triangulorum ideis natam volunt; doctrinæ quam profitentur, vel immemores ſunt, vel inconſulti. Nam inter innatas in nobis ideas, ponit Carteſius ideam trianguli. Inſtant vero, &, Mens, inquiunt, ut noſcat omne id eſſe quod cogitat, cogitet neceſſe eſt; cogitare autem non poteſt, quin noſcat ſe cogitare; nec noſcere poteſt ſe cogitare, quin noſcat ſe eſſe: ante igitur noſcit ſe cogitare, ſeque eſſe, quam noſcat omne id eſſe quod cogitat. Nos vero concedimus mentem ante cogitare, quam cogitet ſe cogitare; ante cogitare ſe cogitare, quam ex eo quod cogitat concludat ſe eſſe; ante concludere ſe eſſe ex eo quod cogitat, quam cogitaverit omne id eſſe quod cogitat, antequam cogitaret ſe idcirco eſſe quod cogitaret, at de eo non cogitabat. Ergo effatum hoc, Quidquid cogitat eſt, hac ratiocinatione prius erat notitia, poſterius cogitatione. Nam cum veritas quæritur per Analyſin, uti hic factum eſt à Carteſio, mens utitur notionibus quæ penes ſe extant, tanquam gradibus jam paratis, quibus ad veritatem perveniat. Cum ex notitia propoſitionis hujus, Ego cogito, aſcendere volo ad notitiam illius, Ergo ſum, utor notione hac mihi jam parta per lumen naturale, Quidquid cogitat eſt, tanquam gradu. Cum in tertia ſua Meditatione *exiſtentiam* Dei inveſtigaret Carteſius per Analyſin, ſic tanquam gradu uſus eſt notione quæ in mente ſua jam ante extabat, rei cujuſdam æternæ, infinitæ, omnipotentis; item altera hac, quam in mente ſua

per

per lumen naturale impreſſam fuiſſe ait, Tantum in cauſſa tota & efficiente ineſſe debere, quantum in cauſſæ hujus effectu. Quod niſi jam ante parati eſſent illi gradus, fruſtra mens ad ſuperiora niteretur.

VIII. Miramini porro inconſtantiam Carteſii. Dubitandum eſſe ſtatuit de rebus omnibus, etiam de iis quæ nobis per ſe lumine naturali nota ſunt; ne exceptis quidem Theorematis Mathematicis; nec iis quoque principiis, quibus illa nituntur; velut iſto, Totum eſt majus ſua parte. Mox tamen multa paſsim admitti jubet, idcirco tantum quod lumine naturali nota ſint. Certiſſimum & ſine ulla dubitatione fatendum eſſe definit, ſe eſſe, quia cogitat; hoc uno argumento, *quod repugnet id quod cogitat, tum cum cogitat, non eſſe*. Quid aliud vero eſt *repugnare*, quam adverſari lumini naturali,& falſitatem manifeſtam ac per ſe notam implicare? Ergo quæ adverſantur lumini naturali, & quorum falſitas per ſe nobis nota eſt, ſine ulla dubitatione repudiari jubet Carteſius, ut falſa; quæ vero conſentiunt lumini naturali, & quorum veritatis per ſe nobis nota eſt, ſine ulla dubitatione admitti, ut vera. Quæro autem, annon tam lumini naturali conſentiat, tamque per ſe nobis notum ſit, Totum eſſe majus ſua parte, quam eum qui cogitat eſſe? Cur ergo credam eum qui cogitat eſſe, idcirco quod lumine naturali id mihi notum ſit; non credam totum eſſe majus ſua parte, quod mihi lumine naturali æque notum eſt? Quid vero eſt ſibi contradicere, in ſe-

VIII. *Sibi contradicit Carteſius, iis quæ lumine naturali nobis nota ſunt, fidem aliquando tribuens, aliquando detrahens.*

ſeque incurrere, ſi hoc non eſt? Hic hæreret ſane Carteſius: nam quid in re tam aperta cauſſari poſſit homo prudens? Non ita Carteſiani, gens procax, & ad quidvis defendendum projecta. Dubitandum ſibi eſſe ſtatuebat Carteſius, inquiunt, de rebus lumine naturali cognitis, antequam eas expendiſſet: poſtquam vero ſunt à ſe exploratæ, de iiſdem deſiit dubitare. Hic ergo adhiberi volunt pervulgatam in Scholis diſtinctionem. Carteſium fatentur dubitaſſe & non dubitaſſe de iiſdem rebus *in ſenſu diviſo*; dubitaſſe nempe, antequam eas expendiſſet; non dubitaſſe, poſtquam à ſe expenſæ ſunt. Negant dubitaſſe & non dubitaſſe de iis rebus *in ſenſu compoſito*, eodem nempe tempore: pugnantia hæc eſſe, non illa. Primum, qui ſcitis, o boni viri, hæc nuſquam à Carteſio fuiſſe expenſa, cum ea tanquam falſa repudiavit; expenſa deinde ab eo fuiſſe, cum ea admiſit tanquam vera. Qui ſcitis ſatis hæc ab eo expenſa fuiſſe? Expenderit vero; an inquiſitio iſthæc Carteſii, norma eſt Philoſophiæ? Expendit axiomata Geometrica, & vera eſſe comperit: expenderunt alii, item docti, & tanquam dubia rejecerunt. Velut pronuntiatum illud, quo nititur Geometria, Quæ ſunt æqualia rei alicui, inter ſe æqualia ſunt, exploravit Carteſius, & verum eſſe deprehendit: exemploravit Carneades, vir Carteſio nulla re inferior, in multis vel potius omnibus longe ſuperior, & incertum eſſe deprehendit. Adde Carteſium hanc habuiſſe cauſſam, cur dubitaret de rebus lumine naturali cognitis, quam tollere non potuit quantumvis attenta ejus inquiſitio. Cauſſa hæc erat, quod ignoraret, annon ea eſſet naturâ mentis humanæ, ut falleretur in iis etiam rebus, quæ videntur eſſe certiſſimæ.

Quan-

Quantumlibet ergo veras & lumini naturali conſentaneas res ipſi oſtenderit ſua inquiſitio, conſtabat adhuc illa dubitationis cauſſa, annon mens humana pro ſua conditione, quæ mutari non poteſt, falleretur in iis rebus. Docuit præterea conceptis verbis Carteſius(1), nullam in ſe ineſſe facultatem ad deprehendum verum, cui tantum habeat fidei ac lumini naturali. Poſtquam igitur lumini huic detraxit fidem, nihil in eo ſuperfuit amplius, cujus ope ad veri notitiam perveniret; non ars, non dubium, non inquiſitio, futilia ad aſſequendum verum præ lumine naturali præſidia. Denique cum paſſim tradat, non ante ſe deprehendiſſe, certam eſſe fidem luminis naturalis, nec fallere id nos poſſe, quam poſtquam agnovit Deum eſſe, nec eum eſse fallacem; quidquid ex ejus inquiſitione verum ei viſum eſt, priuſquam cognoviſſet Deum eſse, pro incerto habere debuit. Nondum autem cognoverat eſse Deum, cùm prima hæc Philoſophiæ ſuæ poneret fundamenta, & fidem luminis naturalis exploraret, ut ex ejus Meditationibus licet intelligere. Vana eſt ergo hæc Carteſianorum reſponſio.

IX. Ajo rurſum in hoc lemmate, Ego cogito, ineſse ambiguitatem, atque aliud ſignificari, quam quod intelligi vult Carteſius; ideoque nullam eſse conſecutionem hanc, Ergo ſum, ut pote ductam ex ſignificatione, quam enuntiato ſuo affingit Carteſius, non quæ eo reipſa continetur. Tribus rebus conſtat omnis cogitatio; mente cogitante, re menti cogitanti objecta, men-

(1) *Cart. Medit.* 3.

IX. *Enuntiato hoc, Ego cogito, aliud ſignificatur, quam quod vult Carteſius; ac proinde ducta ex eo concluſio nulla eſt.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

mentis cogitantis actione in rem objectam. Actionem dico(1); etſi non me fugit cogitationis nomen extendere Carteſium ad omnes motus, quibus mens, vel movetur per ſe, vel aliunde afficitur. Sed quantum pertinet ad hanc diſputationem, perinde eſt: nam cum afficitur, tria itidem neceſsaria ſunt; mens affecta, res mentem afficiens, affectio ipſa. Neque cauſsa eſt, cur hic vitilitigent Carteſiani, quod ſpectetur hic à me cogitatio, quatenus actio eſt, non quatenus affectio: quippe, inquiunt, decrevit Carteſius cogitationem eſse actionem, non affectionem; quod unum hic quæritur. Nempe mera hæc tergiverſatio eſt; nec enim id quæritur in præſentia; ſed an tribus rebus conſtet omnis cogitatio. Quæratur tamen, ut volunt, an cogitatio ſit actio vel affectio. Carteſius, inquiunt, cogitationem decrevit eſse affectionem, non actionem. Quaſi regula veri ſit opinio Carteſii. Quam multi, quam præclari Philoſophi cogitationem ſenſerunt eſse actionem? Quotus quiſque Dialecticorum eſt, qui de mentis operationibus non diſſerat? operationes vero quid aliud ſunt quam actiones? Verum quid multa? Gentis hujus mores agnoſcite; qui dum Carteſium defendunt, ſententiam ejus vel diſſimulant, quod perverſitatis eſt; vel ignorant, quod ſocordiæ. Sic enim ille (2): *Cogitatio, tum pro re cogitante, tum pro iſtius rei actione accipi poteſt. Nego autem rem cogitantem alio præter ſe ipſam objecto indigere, ad ſuam actionem exercendam.* Deinde(3): *Cogitationis vox indiſcriminatim pro omni animæ operatione accipitur.* Et in Principiis duos eſse tradit cogitandi modos, opera-

(1) *Carteſ.Princip.Part.1.cap.9.*
(2) *Carteſ.Reſp.ad Gaſſend.*
(3) *Carteſ.Princip.Part.1.§.32.*

rationem intellectus, & operationem voluntatis. Quibus conſentanea reperies in libris Carteſianorum. Quamobrem cogitationem, vel ut actionem ſpectare, vel ut affectionem, jus nobis faſque eſt. Commodior autem nobis erit in præſentia cogitationis notio, quatenus actio eſt. Igitur ut cogitem de Sole, neceſse eſt mentem meam eſse quæ cogitet, actionem mentis meæ qua cogitet, rem menti meæ objectam, nempe Solem, de quo mens cogitet. Cum ait initur Carteſius, Ego cogito, quænam res menti ejus objecta eſt de qua cogitet? nempe ejus cogitatio. Cogitatio autem illa, non hæc ipſa cogitatio eſt, qua mens ejus nunc cogitat: nam ſi id eſset, eadem eſset actio, ac finis ſeu terminus in quem actio dirigitur; quod perabſurdum eſt, & adverſarium lumini naturali, ad quod tam ſæpe provocat Carteſius. Niſi alio fortaſse utatur lumine naturali, ac reliquum vulgus hominum. Igitur cogitatio qua nunc cogito, alia eſt ac cogitatio de qua cogito: & enuntiatum hoc, Ego cogito, ſi evolvas, latere hoc in eo deprehendes, Ego cogito de cogitatione mea, quatenus cogitatio eſt; cujus non alia ſignificatio eſt, quam iſtius, Ego cogito me cogitare. Ac ne iſta quidem locutio vitio caret, aliter enim accipienda eſt ac ſi dicerem, Ego cogito me cogitaſse: nam ut oculi, ſic humana mens unicam tantum rem eodem tempore directe poteſt intueri. Itaque ut cogitem me cogitare, duplex adhibenda eſt cogitatio, quarum alia reflecti debet in aliam, poſterior in priorem, præſens in præteritam; ita ut prior menti objecta ſit in quam mens intendatur in priorem; ſive, ut paucis complectar, prior cogitatio erit finis ſive terminus poſterioris; poſterior erit actio mentis, qua mens dirigatur in priorem. Repugnat

gnat enim utrumque effici per unicam actionem: quippe res una & eadem in ſe ageret, quod nemo homo vel primis Philoſophiæ rudimentis imbutus dixerit. Quidni vero, inquiunt, mens de cogitatione ſua cogitet una eademque cogitatione; cum Angelus, juxta Thomam(1), per ſuam formam, quæ eſt ſua ſubſtantia, ſeipſum intelligat? At reſponſionem ſubminiſtrat ipſe Thomas, plurimum nempe mentem Angelicam differt ab humana; quippe *intellectum Angelicum non eſſe ſuum intelligere, ſed primum objectum ſui intelligere eſſe ejus eſſentiam; at intellectum humanum nec eſſe ſuum intelligere, nec ſui intelligere eſſe objectum primum ipſam ejus eſſentiam, ſed aliquid extrinſecum, ſcilicet naturam materialis rei.* Statuit itaque mentem humanam de rebus plurimis, ſub una & eadem idea comprehenſis, cogitare poſſe, *per modum unius*, hoc eſt *per unam ſpeciem intelligibilem*; non vero de rebus plurimis, comprehenſis ſub variis ideis(2), *per modum multorum*, hoc eſt, *per plures ſpecies intelligibiles; & quæcunque intellectus per multas ſpecies intelligit, non ſimul intelligere.* Ac concludit demum fieri non poſſe, ut *idem intellectus ſimul perficiatur diverſis ſpeciebus intelligibilibus, ad intelligendum diverſa in actu; ſicut nec unum corpus poteſt ſimul diverſis figuris figurari; & alium eſſe actum quo intellectus intelligit lapidem; & alium eſſe actum, quo intelliget ſe intelligere lapidem.* Idem(3) alibi docet *id quod primo cognoſcitur ab intellectu humano eſſe objectum extrinſecum; & ſecundario cognoſci ipſum actum quo cognoſcitur objectum; & per actum cognoſci ipſum intellectum.* Quæ ſi referuntur ad quæſtionem

(1) *Thom.P.1.q.56.a.1.& q.87.a.3.*
(2) *Thom.P.1.q.12.a.10.& q.85.a.4.*
(3) *Thom.P.1.q.87.a.3.*

nem propoſitam, videbimus Carteſium primo actu cogitare de Sole ſibi objecto; ſecundo actu cogitare de hac cogitatione Solis; tertio actu de mente ſua quæ cogitet. Atque hæc fulcit Thomas auctoritate Ariſtotelis (1), quæ parum valet apud Carteſianos. Hujus ſcitum eſt, *objecta præcognoſci actibus, & actus potentiis*; item, plurimum intereſſe ſcientiam inter & cogitationem; ſcire multa nos poſſe, de una tantum re nos poſſe cogitare. Contradicit Carteſius cum ſua Schola, ſtatuitque cogitationem *non alio præter ſeipſam objecto indigere*; fieri id per eam, quam vocant, *mentis abſtractionem*; abſtracta ſcilicet mente & deflexa a re cogitata, nempe Sole, ad ſuam cogitationem; quippe quæ ex cognitione ſuæ cogitationis educat cognitionem *exiſtentiæ* ſuæ, non ex cognitione Solis; nec enim dici, Sol exiſtit, Ergo ſum; ſed, Ego cogito, Ergo ſum: divulſa igitur cogitatione a re cogitata, a Sole nimirum, ſolam permanere cogitationem, ſine ulla re objecta; quod perinde eſt, ut ſi dicant deſtrui & interire cogitationem hanc. Nam cum agnoſcant poſitam eſſe naturam cogitationis in applicatione rei cogitantis ad rem cogitatam, ſublata ac cogitata, perire cogitationem neceſſe eſt. Quæ ſi pereat, retorqueri in ſeipſam, & reflecti non poterit. Urgent tamen adverſarii, progreſſuras in immenſum cogitationes, ſi ad cogitandum de prima cogitatione neceſſario requiritur altera cogitatio; & tertia ad cogitandum de ſecunda, atque ita in infinitum. Sed hæc ex Thoma (2) petita a Thoma

B

(1) *Ariſtot. De anim. l.2. c.4. & Topic. l.2. c.4.*
(2) *Thom. p. 1. q. 87. a. 3. & q. 86. a.2.*

ma ipſo diluuntur : fatetur enim cogitationes progreſſuras in infinitum, & mentem humanam infinitam eſſe , nempe *in potentia*, non *in actu* . Certum igitur omninò eſt, ſecundæ cogitationi Carteſii rem aliquam eſſe objectam, cogitationem ſcilicet præteritam ; quæ cum antea eſſet cogitatio, fit nunc res cogitata . Unde colligitur mancum eſſe & imperfectum hoc Carteſii enuntiatum, Ego cogito ; atque hunc ejus eſſe intellectum, Ego cogito me cogitare ; ſeu potius, ſi emendate & accurate loqui velit , Ego cogito me cogitaſſe . Qui cogitat autem ſe cogitaſſe , memoria uti debet, ut meminerit ſe cogitaſſe. Ubicunque autem adhibetur memoria, illic ineſſe poſſe errorem ipſi fatentur adverſarii : ſiquidem memoria , ut ſciſcebat Lacydes, opinio eſt ; fallax eſt porrò omnis opinio ; nihilo enim certior ſum me cogitaſſe , quam me ambulaſſe, me dormiſſe, me ediſſe. Hæc autem plane incerta ſunt : incertum igitur me cogitaſſe. Quapropter nulla eſt , quæ inde cogitur concluſio , Ergo ſum. Dicet fortaſſe Carteſius , etiamſi incertum ſit me cogitaſſe , certum tamen eſſe me nunc cogitare me cogitaſſe ; concluſionem autem duci, non ex eo quod cogitaverim, ſed ex eo quod nunc cogitem me cogitaſſe ; hoc eſt non ex cogitatione præterita, ſed ex cogitatione præſenti. Nos vero negabimus, concluſionem hanc, Ergo ſum , duci ex cogitatione ipſa quæ præſens eſt, & qua cogito me cogitaſſe ; ſed ex cogitatione præterita , qua cogitabam de Sole. Cum enim cogitarem de Sole , mens per alteram cogitationem reflexa eſt in primam iſtam , ex eaque eduxit concluſionem hanc , Ergo ſum. Nam ſi educeretur ex ſecunda cogitatione , educeretur utique per ter-

tertiam; neque ſolum eſſet dicendum, Ego cogito, nec, Ego cogito me cogitaſſe; ſed, Ego cogito me cogitaſſe me cogitaſse. Et ſecunda illa cogitatio perinde incerta foret ut prima: ac proinde & educta ex hac concluſio. Demus tamen certum eſſe me cogitaſſe; at tum certe mea me fallere poteſt memoria, cum ajo, Ergo ſum: nam cum de concluſione hac cogito, cogitare deſii de enuntiato antecedente, Ego cogito; nec ex hoc illud pendere aliter ſcire poſſum, quam ope memoriæ. Quid ad hæc Carteſiana Schola? Fatemur, inquiunt, opus hic eſſe memoriâ; at memoriam negamus ſemper eſſe fallacem: fallax eſse poteſt, cum vetera recordamur; ſecus, cum recentia; tum enim fallere nos non poteſt. En vero ante auſtera illa & rigida Philoſophia, nunc manſuefacta, & ad vulgares opiniones accommodata; nam quæ res omnes primo habebat pro falſis, rediit ſtatim in gratiam cum lumine naturali, & mox cum memoria ipſa & opinionibus; qui fons eſt errorum omnium. Atque id quidem in ipſo aditu, & nondum poſitis fundamentis. Hæremus enim adhuc in lemmate hujus argumenti, Ego cogito, Ergo ſum; quod initium eſt atque caput Carteſianæ Philoſophiæ. Cæterum hic appello, non univerſos ſolum Philoſophos, ſed omne genus hominum, quorum nullus non ſæpe expertus eſt, repentinum aliquem ſonum, fremitum muſcæ volantis, inopinum quidpiam oculis objectum, adeo cogitationes omnes præſentes & animo hærentes excutere, earumque ita obliterare veſtigia, ut earum plane immemores hæreamus in medio ſermone hiantes, nec interruptam orationem contexere poſſimus. Puderet certe Carteſium diſtinctionis hujus, qui in ſe-

cunda Meditatione, cum veritatis rimaretur aditus, credendum ſibi eſſe ſtatuit, *nihil unquam extitiſſe eorum, quæ mendax memoria repræſentat*, nullo veterum & recentium diſcrimine. Et in quinta Meditatione, aliiſque locis, dubitare ſe non poſſe ait, quin tres anguli trianguli ſint æquales duobus rectis, quamdiu in animo habet demonſtrationem qua id probatur; ſed *ſtatim atque* de eo cogitare deſit, quamvis eam à ſe clariſſime perceptam recordetur, dubitare ſe tamen poſſe an vera ſit, niſi Dei minime fallacis notitiam habuerit, per quem certus fiat veracem eſſe quam retinet perceptionis hujus memoriam. Nondum autem pervenimus ad diſputationem *de exiſtentia Dei*. Nondum igitur, juxta Carteſii placita, fides ulla habenda eſt memoriæ; non ſolum cum vetera recordamur, ſed etiam cum recentiſſima, *ſtatim atque mentis aciem ab iis deflectimus*. Cum fluxa ſit autem & infirma hominum memoria, ad aliud lemma facile referri poteſt conſecutio, quam ad id unde profecta eſt. Simile quid nobis in quotidiana familiaris ſermonis conſuetudine uſuvenire ſolet, cum aliquantum dicendo progreſſi, unde ductæ ſint conſecutiones in quibus hæremus, & quorſum referendæ, non ſatis meminimus. Connexio itaque gemini hujus enuntiati, Ego cogito, &, Ergo ſum, incerta eſt & fallax: ac nulla proinde argumentatio. Huc accedit, quod cum hoc argumentum, Ego cogito, ergo ſum, nitatur hoc pronuntiato, Quidquid cogitat, eo tempore quo cogitat eſt, ſequitur me cum hoc colligo, Ergo ſum, ex iſto, Ego cogito, nihil aliud velle quam me eſſe eo tempore quo cogito. Atqui jam deſiit cogitatio illa, cum dico, Ergo ſum: & aliud eſt tempus enuntiati antecedentis,

Ego

Ego cogito, & aliud enuntiati conſequentis, Ergo ſum. Vel igitur id ſibi vult iſta argumentatio, Ego cogito, ergo ero; vel iſtud, Ego cogitavi, ergo ſum: & pronuntiatum hoc, Quidquid cogitat, eo tempore quo cogitat eſt, unde Carteſius pendere vult argumentationem ſuam, nihil ad eam pertinet; atque ut ad eam utile ſit, ſic immutandum eſt, Quidquid cogitat, eo etiam tempore quo non cogitat, eſt. Quæ omnia ita emendata & immutata, uti eſſe debent, falliſſima, ipſo fatente Carteſio, & ineptiſſima ſunt. Ac telum hoc caute ſe vitaſſe putant Carteſiani, cum dicunt conſequens eſse in antecedente; & in illo, Ego cogito, ineſse iſtud, Ergo ſum, nullam ergo habendam rationem temporis, quippe quocumque tempore ſubjungatur, Ergo ſum, tamen verum id fuiſse cum dixi, Ego cogito. Acuti homines! Nam idcirco quod conſequens illud, Ergo ſum, eſt in illo antecedente, Ego cogito, efficitur eo temporis momento quo dico, Ego cogito, verum eſse, Ergo ſum; nec tamen efficitur alio tempore verum eſse, Ergo ſum. Quemadmodum enim nulla erat hæc concluſio, Ergo ſum, antequam dictum ſit, Ego cogito; ita nulla eſt hæc concluſio, Ergo ſum, poſtquam dictum eſt. Ego cogito. Itaque attendenda hic eſt, non natura rerum, ſed progreſſio animi in cognoſcenda *exiſtentia* ſui. Aliter enim ſe habent in natura membra argumenti hujus, Ego cogito, Ergo ſum; ſumptio nempe & conſequens; aliter in mente Philoſophi. In natura enim ſunt ſimul, neque ullum intereſt diſcrimen temporis; in mente Philoſophi, non item. Nam poſtquam is de eo cogitavit, Ego cogito, cognitione cogitationis ſuæ jam parta utitur tanquam gradu, ut ad cognitionem *exiſtentiæ* ſuæ, nondum ſi-

ſibi partam progrediatur : & hoc gradu nixus pervenit demum ad illam cogitationem, Ergo ſum. Quæ duæ cogitationes tempore ſunt ita diſcretæ, ut poſt priorem editam cogitationem, nondum edita altera interire poſſit Philoſophus Clariſſime hæc oſtendunt Meditationes Carteſii, quarum ſeries ita ab eo exponitur, non uti res ab eo meditatæ extant in natura, ſed uti in ejus animo aliæ ex aliis natæ ſunt ; vel, ut ejus verbis utar (1), *non in ordine ad ipſam rei veritatem, ſed duntaxat in ordine ad ſuam perceptionem*. At provenerunt nuperi Carteſiani, qui ſe ex his anguſtiis alia tentarunt expedire ratione. Hoc enim enuntiatum, Ego cogito, & illud, Ego ſum, etiamſi diverſis temporibus utrumque profertur, eodem tamen tempore extare ajunt in mente Philoſophi ; prius in intelligentia, quæ res percipit ; poſterius in voluntate, quæ judicia de iis facit & affirmat. Longum eſſet, at non valde fortaſse operoſum, oſtendere aliquando intelligentiam agere, aliquando affici voluntatem, ſecus ac decrevit Carteſius: nunc ſatis eſt, ex ipſis Carteſianæ doctrinæ principiis demonſtrare ſumptionem hanc, Ego cogito, non minus extare in voluntate, quàm conſequens illud, Ergo ſum : & conſequens iſtud, Ergo ſum, non minus extare in intelligentia, quàm ſumptionem hanc, Ego cogito : & quamvis hoc extaret in voluntate tantum, iſta in intelligentia, non hinc ſequi utrumque extare ſimul in mente Philoſophi. Nam ſi evolvatur enuntiati hujus, Ego cogito, ſignificatio, idem erit ac, Ego ſum cogitans : in quo cum reperiantur *ſubjectum* & *prædicatum*, uti lo-

quuntur

(1) *Præf. Medit.*

quuntur Dialectici, & copula utriuſque; negari non poteſt hanc propoſitionem eſſe judicium ſeu affirmationem. Quæ cum ex voluntate ſola proficiſcantur; ut pertendunt Carteſiani, plane dicendum eſt enuntiatum hoc, Ego cogito, perinde extare in voluntate, ut conſequens, Ergo ſum. Hoc ipſum vero conſequens, Ego ſum. hoc eſt, Ego ſum exiſtens, cum conflatum ſit ex his ideis, Ego, &, exiſtens, quæ perinde ſunt in intelligelligentia, ut ideæ illæ, Ego, &, cogitans, quibus conſtat ſumptio iſthæc, Ego cogito, eodem modo eſt in intelligentia utraque propoſitio. Tametſi autem ſumptio hæc, Ego cogito, extaret ſolum in intelligentia, & conſequens, Ergo ſum, in voluntate, non hinc tamen efficeretur eodem tempore extare utrumque in mente Philoſophi. Nam antequam hoc judicium, Ergo ſum, voluntas facere poſſit, neceſse eſt intelligentiam ei exhibuiſse ideas, quæ his propoſitionibus continentur, Ego ſum cogitans, Ego ſum exiſtens; tum convenientiam idearum illarum, nempe ideæ Ego, cum idea, cogitans; item ideæ, Ego, cum idea, exiſtens. Et quoniam argumentum hoc, Ego ſum cogitans, Ergo ſum exiſtens, nititur enuntiato illo, Quidquid eſt cogitans eſt exiſtens, neceſse quoque eſt, ut convenientiam idearum illarum, cogitans, &, exiſtens, voluntati repræſentaverit intelligentia. Ex trium illarum idearum convenientia, oriuntur tria voluntatis judicia, Quidquid eſt cogitans eſt exiſtens, Ego ſum cogitans, Igitur ſum exiſtens. Et cum compertam nondum haberet convenientiam ideæ, Ego, cum idea, exiſtens, recurrit ad tertiam, nempe, cogitans; quam comparat primo cum idea, exiſtens; & deprehenſa utriuſque convenientia, prodit prior ſum-

 ptio,

ptio, Quidquid eſt cogitans eſt exiſtens: confert deinde ideam, Ego, cum idea, cogitans; & poſtquam eas novit congruere, naſcitur altera ſumptio, Ego ſum cogitans. Ex quibus demum effloreſcit quæſita concluſio. Antequam igitur judicia hæc faceret voluntas, ideæ illæ tres extabant in intelligentia Philoſophi. Ex his deinde per vices judicia fecit voluntas nam primo ignorabat an eſſet, cum ſciret ſe cogitare, & quidquid cogitat exiſtere: quibus antecedentibus notionibus, quaſi gradibus, uſus eſt Philoſophus, ut ad illam aſcenderet, Ergo ſum. Quæ cum ita ſe habeant, manifeſtum utique eſt, ſimul iſta in mente Philoſophi non extitiſſe, ac futile eſse hoc Carteſianorum commentum.

X. His opponunt præterea Carteſiani, quod & in eorum, Carteſiique adeo ipſius libris legitur; cum quis cogitat, eo ipſo tempore, quo cogitat, conſcium eſse ſuæ cogitationis, eamque ſentire ac cognoſcere; ut cum cogitat diem eſse, non ſolum cogitare diem eſse, ſed & hanc ipſam cogitationem cognoſcere; ita ut notitia cogitationis hujus eadem ſit ac cogitatio ipſa, quæ ſecum ſui conſcientiam & perceptionem in animo imprimat, & idea cogitationis hujus non alia ſit ab ipſa cogitatione. Sed hæc quam inania ſint facile intelligitur. Latebram primum quærunt in confuſione hac idearum toto genere diſcrepantium. Nam cum cogito diem eſse, mens mea eſt principium cogitationis hujus; cogitatio eſt actio mentis; dies eſt finis cogitationis. At cum

X. *Cum quis cogitat de re aliqua, non eadem eſt idea rei hujus, de qua cogitat, ac idea ipſius cognitionis.*

cum cogito me cogitare diem eſſe, mutatur finis cogitationis; tunc enim finis cogitationis non idem eſt qui erat, nempe, Dies eſt; ſed alius plane, nempe, Cogito diem eſſe. Mutato autem fine ſeu termino, mutari actionem neceſſe eſt. Scitum quippe eſt Scholæ, *Actum habere ſpeciem ab objecto.* Igitur poſterior hæc cogitatio diverſa penitus eſt a priore, & perperam confunduntur. Nam qui dicunt cogitationem diei non differre a cognitione cogitationis diei, cum & iidem dicant cognoſci diem per cogitationem diei; cognoſci vero cogitationem diei per ſeipſam, pugnantia loquuntur. Diverſæ enim ſunt notiones rerum, cum res circa quas verſantur hæ notiones, & illarum acquirendarum viæ diverſæ ſunt. Aliud eſt autem dies, aliud cogitatio diei; habetur notio diei per ideam diei, illa per ſeipſam, ut volunt Carteſiani. Diverſæ ſunt igitur notiones iſtæ. Huc adde, poſſe me cogitare de die, nec cogitare de cogitatione diei: ineptum eſt autem dicere hæc eſſe unum & idem, quorum unum poteſt eſſe ſine alio. Adde etiam, quoniam in enuntiato hoc, Ego cogito, poſt comparationem *ſubjecti* Ego, cum *prædicato*, Cogito, & poſt convenientiam utriuſque agnitam, unum alteri tributum eſt, fieri id per *judicium*, quæ eſt ſecunda mentis operatio. Fieri autem non poteſt comparatio hæc, neque ulla hìc agnoſci convenientia, quàm idearum. Nam cum idea habeatur *ſubjecti* illius *Ego*, ſi *prædicati cogito* idea non haberetur, comparare non poſſet Philoſophus id cujus in ſe extat idea, cum eo cujus nullam habet ideam; nec proinde affirmare ſe cogitare. Sin vero ex ſeipſa nota ei eſſet hæc cogitatio, quidquid in ea cognoſcit, ei quoque ex ſe notum

eſſet: cognoſcit autem in ea ſuam *exiſten-tiam*: ſua ergo ei ex ſe ipſa nota eſset *exi-ſtentia*. Pari ergo jure dicere poſſit, Ego ſum, Ergo cogito, ut dicit, Ego cogito, Ergo ſum; neque magis dubitare debuit de *exiſtentia* ſua, quàm de cogitatione ſua. Quinetiam quemadmodum dixit Carteſius, Ego cogito, Ergo ſum, dicere quoque poſsum *Carteſius cogitat*, *Ergo eſt*. Par eſt enim argumenti utriuſque vis, par veri-tas. Atqui ex cogitatione Carteſii collige-re non poſsum eum eſse, quin cogitatio-nis hujus Carteſianæ idea in me ſit. Igitur ex ſua cogitatione colligere itidem non po-teſt Carteſius ſe eſse, quin ſuæ quoque co-gitationis idea in ſe ſit. Nam quamvis co-gitatio hæc ſit Carteſii, mea vero non ſit, eodem tamen modo ſpectatur ab utroque noſtrum, eodem modo uſurpatur; nec aliam induit naturam, cum à me in argu-mentum adhibetur, aliam cum ab eo. Cum enim nihil niſi per ideam ſentiri, noſci, percipi poſſit, ſentire non poſsum me co-gitare de die, niſi per ideam cogitationis hujus. Ideam autem cogitationis, & ideam diei, qui eamdem dicere auſit, pari is ju-re dicat diem & cogitationem idem eſse. Carteſius ipſe audiatur ferens adverſum ſe ſententiam in libro de Methodo: *Eſt*, inquit, *alia actio mentis per quam aliquid bo-num vel malum eſſe judicamus*, *& alia per quam nos ita judicaſſe agnoſcimus*, *atque una ſæpiſſime ſine alia reperitur*. Quod ſi judicium de bono & malo reperiri poteſt, ſine co-gnitione hujus judicii; cogitatio quoque, quæ habetur de Sole, reperiri poteſt ſine cognitione cogitationis hujus. Audiatur & Scholæ Princeps Thomas (1): *Alius eſt actus* in-

(1) *Thom. Summ. Part.* 1. *quaſt.* 87. *art.* 3. *ad* 2.

inquit, *quo intellectus intelligit lapidem*; *& alius eſt actus, quo intelligit ſe intelligere lapidem*. At hæc fregiſse ſe putant Carteſiani, cum ajunt noſcere ſe diem per ideam diei; at cogitationem diei noſcere ſe per ſeipſam, non per ideam; res quippe quæ extra mentem noſtram ſunt, non aliter noſci quàm per ideas; quæ vero ſunt in mente noſtra, velut cogitationes, noſci per ſe ipſas ſine ideis. Quæ quàm vana ſint, animadvertite. Noſcimus mentem noſtram, intelligentiam noſtram, voluntatem noſtram; & noſcimus quidem ope idearum: hæc enim comparamus inter ſe, diſtinguimus, definimus; quæ ſine affirmatione aut negatione fieri non poſsunt. Affirmatio autem & negatio non aliter fit quàm ideam cum idea comparando, earumque deprehenſa convenientia aut diſcrepantia. Quinetiam ideas ſæpe noſtras per ideas cognoſcimus. Cum tria idearum genera diſtinxit Carteſius, naturalium, factitiarum & adventitiarum, novit eas utique per earum ideas. Ideæ autem univerſales fiunt ex ſingularibus; ut & ſingulares nonnumquam ex univerſalibus: *Contendo ego*, inquit Carteſius (1), *eſſe in nobis ideas, non eorum tantummodo omnium, quæ ſunt in noſtra intelligentia; ſed & eorum quæ ſunt in noſtra voluntate; nec enim velle quicquam poſſumus, quin nos id velle ſciamus; nec id poſſumus ſcire quam per ideam*. At quæ his ſubjicit, valde abſurda ſunt, nempe ideam hanc eamdem eſse ac ipſam actionem. Nam qui vult legere, hanc mentis ſuæ actionem cognoſcit per ideam; cujus ideæ cauſsa eſt ipſa actio: ideam autem actionis cum actio-

(1) *Carteſi Epiſt. Tom.* 2. *Epiſt.* 53.

ne confundere, cauſsam cum effectu confundere eſt. Alibi ideam mentis noſtræ & ideam cogitationis ponit in numero idearum, quæ in nobis innatæ ſunt: & ideam definit (1), *Quidquid poteſt eſſe in mente noſtra.* Cui conſequens eſt cogitationem Solis idea ſua non carere, per quam cognoſcitur, cum cognitio hæc ſit in mente noſtra. Sic & Thomas (2), cujus auctoritati multa videtur tribuere Carteſiana factio: *Intellectus noſter intelligit ſeipſum per ſpeciem intelligibilem.* Concedamus id tamen; nam & aliis quoque Philoſophis viſum eſt cogitationem omnem adjunctum habere & comitem ſenſum quemdam & perceptionem ſui: ut cum volo ambulare, non ſolum volo ambulare, ſed volo & probo hanc voluntatem ambulandi. Quemadmodum cum oculis domum intueor, duplex fit viſio, altera directa, qua domum video; altera obliqua, qua vicinas arbores; ita cum cogito diem eſse, duplicem ajunt eſse cogitationem; directam alteram, quæ eſt diei; alteram obliquam ſive adjunctam & comitantem, quæ eſt cogitationis diei. Carneades quoque cum de Criterio diſſereret, dicebat ex re aſpectabili hominis oculis objecta exiſtere phantaſiam quæ & ſeipſam & alias res aſpectabiles efficeret. Verum nihil inde, quod cauſsæ ſuæ proſit, colligent Carteſiani. Ut enim ex cognitione cogitationis meæ exprimam antecedens iſtud enuntiatum, Ego cogito, unde ducere poſſim hanc concluſionem, Ergo ſum; non ſatis eſt ut cognitio illa ſit obliqua & adjuncta, ac proinde imperfecta; ſed neceſse om-

(1) *Carteſ. Medit.* 3. *Epiſt. Tom.* 2. *Ep.* 54.
(2) *Thom. Part.* 1. *q.* 14. *a.* 2.

omninò eſt, ut ſit directa & perfecta: non ſatis eſt ſi ſentiam me cogitare, ſed neceſſe eſt ut cogitem me cogitare. Niſi enim attento animo & accurate perluſtretur & percipiatur enuntiati cujuslibet natura, ſignificatio, & intellectus; certo ſciri haudquaquam poteſt latere in eo concluſionem, quæ inde eruenda eſt. Quamobrem reflecti debet animus & defigi in priorem hanc ſuam cogitationem. Prior autem illa cogitatio, erat mentis cogitantis actio in rem ſibi objectam, de qua cogitabat; ea vero res objecta, finis erat, ut dixi, cogitationis: nunc autem actio illa fit finis novæ cogitationis, & mens in eam agit nova actione. Ruit itaque omnis hæc exceptio.

XI. At Carteſius, ejuſque aſſectatores, ut duo hæc, Ego cogito, ergo ſum, quæ facile divelli poſſe proſpiciebant, firmius adſtringerent, & in unum conglutinarent, negare auſi ſunt nobis hæc eſſe per ratiocinationem cognita, ſed per ſimplicem, ut vocant, viſionem. Quippe fatentur ratiocinationem omnem errori eſſe obnoxiam, cum memoria opus habeamus, cujus ope principiorum & ſumtionum recordemur, unde concluſiones ducimus; memoria autem fallax ſit & infida. Igitur ſi totum iſtud *Ego cogito ergo ſum*, meram eſſe ratiocinationem docuero, nec per ſimplicem viſionem noſci poſſe; incertum hoc eſſe & dubium utique probavero; falli vero, vel fallere qui ratiocinationem negant eſſe ratiocinationem. Quæro ergo quid ſit ratiocinatio, ſive argu-

XI. *Falſum eſt iſtud*, Ego cogito, ergo ſum, *nobis cognitum eſſe per ſimplicem viſionem, non per ratiocinationem.*

gumentatio : annon actio mentis humanæ per quam ex principiis cognitis educitur concluſio, rem notam faciens quæ antea erat incognita? Sive malimus uti verbis Thomæ Aquinatis (1): *Proceſſio de uno intellecto ad aliud, ad veritatem intelligibilem cognoſcendam.* Annon autem in gemini hujus enuntiati complexione totum hoc reperitur? Neſcire enim ſe profitetur Carteſius in aditu Philoſophiæ ſuæ, an ſit. Ut autem ad rei hujus ignotæ notitiam perveniat, quærit aliquid quod ſibi ſine ulla dubitatione cognitum ſit. Id eſſe vult, *Ego cogito*; atque id ponit ut principium exploratiſſimum. Ponit & illud, ut lumine naturali notiſſimum, *Quidquid cogitat, eſt.* Tum ex gemino hoc principio ſibi cognito, *Quidquid cogitat, eſt; atqui ego cogito*, notitiam aſſecutum ſe ait rei quam ignorabat, nempe, *Ergo ſum.* In qua concluſione *prædicatum*, ut vocant, adjungitur *ſubjecto*; nempe hoc *Sum*, illi *Ego*, per connexionem medii termini *Cogito*, qui præmiſſis ſumptionibus intextus eſt. Quæ ſi quis perfectum conflare ſyllogiſmum negaverit, rudis ille ſit Dialecticæ totius. Legatur ſecunda Carteſii Meditatio, manifeſto apparebit progreſsio mentis per cognitionem cogitationis ſuæ, ad perceptionem rei prius incognitæ, nempe ſe eſſe. Ad id autem quod ajunt Carteſiani, cum quæreret Carteſius an exiſteret, de eo quidem ipſum non dubitaſſe, ſed finxiſſe ſe dubitare, etſi hoc jam ipſis effugium præcluſum eſt, dicemus tamen non hic diſputari inter nos quid de *exiſtentia* ſua ſenſerit Carteſius; ſed annon quærendam & probandam ſuſceperit ſuam *exiſtentiam*; atque hoc ſuſce-

(1) *Thom. Summ. Part.* 1. *Quæſt.* 79. *art.* 8.

ſuſcepto ; annon per argumentationem & ratiocinationem probare eam ſategerit. Atqui hæc in prima ſua & ſecunda Meditatione, & in ſuis Philoſophiæ Principiis clariſsime diſputavit, magnoque molimine ſuam exquiſivit *exiſtentiam*, quam ex eo collegit demum quod cogitaret. Inſolens porrò eſt & ineptum quod addunt, pertinere ad naturam ſyllogiſmi, concluſionem ex ſe notam non eſſe ; cum nota autem nobis ex ſe ſit *exiſtentia* noſtra, argumentum illud Carteſii, quo eam probare inſtituit, argumentum non eſſe. Itane vero ? ſi nota nobis ex ſe eſt noſtra *exiſtentia*, cur de ſua dubitavit Democritus, cur Academici de ſua ? Nota enim ſit ex ſe concluſio, necne, oriatur modo ex vi propoſitionum, quas *præmiſſas* vocant, legitimum erit argumentum. Quid ex ſe notius, quam Axiomata Geometrarum ? ea tamen demonſtrare tentavit Apollonius Pergæus : nec id feciſſet ſane, ſi in eo ludere ſe operam putaſſet. Nihil enim tam ex ſe notum eſt, quod non alicui Philoſopho dubium & ignotum eſſe poſſit. Annon per ſe notum eſt, æqualia eſse inter ſe, quæ alteri æqualia ſunt? falſum id tamen, ac proinde ignotum Carneadi fuit, & demonſtratione eguit. At quod in eorumdem libris legitur, propoſitionem hanc, *Ego ſum*, atque argumentum etiam illud, *Ego cogito, Ergo ſum*, eſſe axiomata, ridiculum eſt omnibus cachinnis dignum ; ſummamque prodit ſectæ hujus imperitiam. Axiomata enim appellari vulgò ſolent effata quædam univerſalia, immutabilis & æternæ veritatis ; qualia ſunt illa Geometrarum. Propoſitiones autem iſtæ cum ſingulares ſint, & circa *individua* verſentur, mutabiles ſunt & incertæ, nihiloque magis Axiomata dici poſſunt, quàm quævis alia propoſitio. Jam

vero

vero dum ex his nodis extricare ſe conatur Carteſius (1), in alios ſe laqueos induit; negat enim, eum qui dixerit, *Ego cogito, Ergo ſum*, *exiſtentiam* ſuam ex ſua cogitatione per ratiocinationem deducere, ſed tanquam rem ex ſe notam ſimplici mentis intuitu agnoſcere: quippe ſi *exiſtentiam* ſuam ex ſua cogitatione per ratiocinationem colligeret, jam ante notam habere debuiſſe propoſitionem iſtam, *Quidquid cogitat eſt*; cum potius concludat Philoſophus id omne exiſtere quod cogitat, ex eo quod in ſe experiatur, non poſſe ſe cogitare, niſi exiſtat; hanc enim eſſe mentis noſtræ naturam, ut univerſales propoſitiones conſtet ex ſingularibus. Quorum ſive pœnitens Carteſius (2), ſive oblitus, contraria omnia in libris Principiorum attulit; nempe antequam quis ſciat, idcirco ſe eſſe quod cogitet, huic eſſe ſciendum, fieri non poſſe, quin id omne ſit quod cogitet, propterea que certum hoc eſſe (3), *Ego cogito, Ergo ſum, quod repugnet ut putemus id quod cogitat, eo ipſo tempore quo cogitat, non exiſtere.* Non igitur univerſale illud, *Quidquid eſt*, ex ſingulari hoc efflorefcit, *Ego cogito, Ergo ſum*, neque illo poſterius eſt; ſed è contrario hoc ſingulare tanquam fundamento nititur hoc univerſali. Traditum præterea ab eo eſt in Epiſtolis (4), innatas in nobis eſſe ideas, quæ æterna illa & immutabilia nobis effata repræſentat. Cujuſmodi cum ſit illud, *Quidquid cogitat, eſt*, id cognoſcimus ex natura noſtra, non ex aliis no-

(1) *Carteſ. Reſp. ad ſecund. Object.*
(2) *Carteſ. Princip. Part. 1. §. 10.*
(3) *Cart. Princ. Part. 1. §. 7.*
(4) *Carteſ. Epiſt. Tom. 2. Epiſt. 54.*

notionibus derivatum habemus. Quæ cum ita ſint, inconſiderate agunt Carteſiani, qui ideo quod enuntiatum hoc, *Quidquid cogitat, eſt*, ex natura noſtra cognoſcimus & per ſimplicem viſionem, reliquas quoque hujus argumenti partes. *Ego cogito*, *Ergo ſum*, eodem modo nobis eſſe cognitas volunt. Major enim propoſitio iſthæc, *Quidquid cogitat eſt*, effatum eſt immutabilis & æternæ veritatis. Minor autem propoſitio, *Ego cogito*, temporalis eſt, mutabilis & incerta. Ac proinde & ipſa concluſio. Qui ergo res tam diſcrepantis naturæ, tam diverſæ, uno mentis & ſimplici intuitu ſpectari poſſint? Huc adde abſurdum illud, ſi utrumque hoc, *Ego cogito*, & *Ergo ſum*, per ſimplicem viſionem cognoſcuntur, hoc eſt per unicam mentis actionem; cognoſcuntur ſimul, eodemque modo, & eodem tempore; ita ut cognitio unius non pendeat ex cognitione alterius. Quæ ſi ita ſint, non magis, nec prius cognoſcitur, *Ego cogito*, quam, *Ergo ſum*; ac proinde ex hoc pronuntiato, *Ego ſum*, tam recte colligi poteſt iſtud, *Ergo cogito*; quam ex hoc, *Ego cogito*, colligit illud Carteſius, *Ergo ſum*. Quod ſi iſtud verò, *Ergo ſum*, pendet ex hoc, *Ego cogito*, atque inde educitur; ante in hoc intendenda mens eſt, quàm in illud, ut ex cognito incognitum educatur. Unde ſequitur cognitionem pronuntiati hujus, *Ergo ſum*, poſteriorem eſſe cognitione illius, *Ego cogito*. Tametſi enim hæc temporibus diſcreta non ſunt ſuapte natura, ſed exiſtant ſimul; at diſcreta certe ſunt in mente Philoſophi, ut jam adnotavimus. Primum enim ſciebat id omne eſſe quod cogitat; agnoſcit deinde ſe cogitare; ac denique ſe eſſe. Nec proinde unica eſt cognitio ſimplexve viſio utriuſque.

XII. Scru-

XII. Scrutemur ſtirpes omnes argumenti hujus, & eruamus. Dixi Carteſium aliam quoque habuiſſe cauſſam, cur a dubitatione initium philoſophandi ſumeret: nempe quod ignoremus annon ita ſimus facti a Deo, ut ſemper fallamur, etiam in iis rebus quæ nobis videntur eſſe notiſsimæ; quo in numero ponit, non Theoremata ſolum Geometrarum, ſed eorumdem quoque principia. Nec jam ipſi movemus litem, quod figmentum ponit auribus Chriſtianis inuſitatum, Deum nos poſſe ſemper fallere, cum ſciamus Deum bonum eſſe, perfectum, veracem, veritatem ipſam, noſque ab ortu facere lucis ſuæ participes. Quippe id agnovit variis locis Carteſius (1) ipſe, ſcripſitque Deum eſſe *ſumme veracem & datorem omnis luminis; ac propterea plane repugnare, ut nos fallat, ſive ut proprie & poſitive ſit cauſſa errorum.* Alibi quoque non Deum, ſed malum aliquem Genium valde potentem fingere mavult, animis noſtris inſidiantem, perpetuoque nobis offundentem tenebras & errores. Sed utrivis cauſſam hanc aſsignet, meminerimus nos Philoſophari, & ipſum veritatis ſtudium ſive Philoſophiam cujuslibet rei quantumvis abſonæ fingendæ dare licentiam. Ex hac ergo lege adeo patente & generali, ita nos eſſe comparatos ut ſemper fallamur, cum nihil omnino exceptum ſit, & nihil mihi ſit adeo notum, quod non

XII. *Ex hoc dubitandi argumento, quod a Carteſio propoſitum eſt, Neſcire nos annon ita comparati ſimus a Deo, vel a malo aliquo Genio ut ſemper fallamur, refellitur iſtud*, Ego cogito, ergo ſum.

(1) *Carteſ. Princ. Part.* 1. c. 29. *Carteſ. Medit.* 1. & 2.

non hujuſmodi admonitio mihi falſitatis ſuſpectum reddat; quidquid deinceps ad credendum mihi proponet Carteſius, id merito rejiciam, ſi priore ejus ac generali præcepto ſtare velim. En vero idem dubitandi auctor, repente mutatus ab illo cunctatore Carteſio, ac velut jam factus certior non ita ſe conditum a Deo, vel a malo aliquo Genio deluſum, ut ſemper fallatur, affirmatè & aſſeveranter pronuntiat ſe cogitare, ac ideo ſe eſſe, unico hoc perſuaſus argumento, quod repugnet id quod cogitat, eo ipſo tempore quo cogitat, non eſſe; proptereaque notionem hanc, *Ego cogito, Ergo ſum*, omnium eſſe primam atque certiſsimam. Tum qui de omnibus omnino rebus dubitare decreverat, perfracto ſemel hoc repagulo, quod ipſe objecerat ſibi, jam quæcumque animo perſpicue videre ſibi videtur, quæcumque lumine naturali nota ſibi eſſe fingit; veriſſima eſſe conſtanter affirmat & ſtatuit. Quomodo vero qui neſcire ſe ait, annon ita ſit compoſitus a Deo, ut ſemper fallatur, ſcire poteſt ſe non falli, cum putat ſe eſſe, ſe cogitare; cum aliqua inter ſe pugnare exiſtimat; cum animo ſe perſpicue videre arbitratur quippiam; cum lumine naturali videtur ei aliquid notiſsimum? Unde id reſcire potuit, quod mox ignorabat? Quanam exceptione diſſolvit hoc argumentum, quod mox tantum apud eum valebat; quodque tanti eſt, ut eximii quidam viri de grege Carteſianorum ingenue confeſsi ſint, nulla ratione convinci eos poſſe, quicunque obſtinate contenderint, hanc eſſe naturam hominis, ut ſemper fallatur? Quod ſi ex hac inſcitiæ humanæ lege ea eximi jubet Carteſius, quæ lumine naturali cognita ſunt, & Philoſopho cuidam dicendi falſum eſſe

poſſe

poſse hoc enuntiatum, *Ego cogito*, nihil aliud habuit quod reſponderet, ut dixi ſupra, quam id eſse lumine naturali cognitum, admittat neceſse eſt principia omnia Arithmeticæ & Geometriæ; velut iſta, Duo tribus addita efficere quinque,&,Si æqualibus æqualia addas, quæ inde exurgent, fore æqualia, de quibus tamen dubitare ſtatuerat. Hæc porro ſi cum cæteris Mathematicorum principiis admiſeris, admittes quoque ducta ex iis Theoremata, ac totam proinde Geometriam. At fatetur Carteſius, & negari certe non poteſt, ſæpe in eo peccari. Jam ergo erroribus feneſtra aperta eſt, & vaneſcit omnis ille dubitandi apparatus, in ipſo Philoſophiæ ingreſsu ab eo inſtructus. Præterea ſi ea eſt natura hominis, ut in rebus clariſsimis fallatur, cum lumen naturale ſit hujus ipſius naturæ facultas, quantumvis perſpicuas nobis & manifeſtas res faciat, legi huic naturæ nihilominus erit obnoxium, qua fit ut in rebus clariſſimis homo fallatur: nec Carteſii ratiocinationes quantumvis acutæ naturam ejus fallacem & inſidioſam mutabunt. Videat nunc quo ſe vertat Carteſius: nam ſi dicere pergit neſcire ſe annon ita ſe habeat, ut ſemper fallatur, agnoſcat falli ſe poſſe in eo, *Ego cogito*, *ergo ſum*; ac proinde primum hoc non eſse & certiſsimum Philoſophiæ fundamentum; vel ſi id admitti jubeat cum reliquis, quæ lumine naturali cognita ſunt, jam nihil eſse ab erroribus totum. Concurrant Carteſiani omnes & capita conferant, numquam inde ſe expedient; atque hoc everriculum eſt argutiarum omnium Carteſii, quæ ab hoc aditu in ejus Philoſophiam irrepſerunt. Equidem cum tertiam ejus Meditationem legerem, mirari ſatis non poteram repugnantiam & diſsenſionem ratioci-

tiocinationum. Quotieſcunque, inquit, occurrit ad animum infinita Dei potentia, fateri cogor perfacile illi eſse efficere ut fallar, etiam in iis quæ mihi videntur eſse certiſsima. Mox ſubjicit, Quotieſcunque attento ad eas res, quæ mihi videntur eſse certiſsimæ, tum erumpo in has voces, Fallat me Deus quantum poteſt numquam tamen efficiet ut fallar, cum credo me eſſe, quia cogito, & duo tribus addita eſſe quinque; & cum fidem adjungo ſimilibus pronuntiatis, quæ non poſſunt ſine manifeſta repugnantia non eſſe vera. Annon vides, Carteſii, annon ſentis manifeſtam horum ipſorum quæ dicis repugnantiam? quæ perinde ſunt, ut ſi diceres, Nihil eſt in quo errare non poſſim; Multa ſunt in quibus errare non poſſum: item, Neſcio annon fallar in rebus valde perſpicuis; Scio me non falli in rebus valde perſpicuis. At hìc quoque recurrunt Carteſiani ad ſolemnem ſuam reſponſionem; non dubitaſſe quidem Carteſium, ſed tantiſper finxiſſe ſe dubitare, annon ejus eſſet naturæ, ut ſemper falleretur, quoad expendiſſet propoſitas ſibi cauſſas de eo dubitandi; quibus expenſis ſi infirmas & invalidas reperiſſet, uti factum eſt, conſtitutum ſibi fuiſſe jam amplius de eo non dubitare: dubitaſſe itaque eum & non dubitaſſe de re eadem *in ſenſu diviſo*; nimirum dubitaſſe antequam removiſſet cauſſas dubitandi, & veritatem perſpexiſſet; non dubitaſſe, poſtquam ſibi perſpecta veritas eſt, & ſublatæ cauſſæ dubitanti: negant vero dubitaſſe eum & non dubitaſſe de re eadem *in ſenſu compoſito*, ſimul nempe & eodem tempore. Ego vero Carteſium ajo etiam *in ſenſu compoſito* dubitaſſe & non dubitaſſe de re eadem, & pugnantia animo finxiſſe. Nam quo tempore

pore dubitavit ; annon ejus eſſet naturæ ut ſemper falleretur, ſi hoc ipſo tempore decrevit de aliquando non dubitare ; neceſſe eſt de eo ſimul eum dubitaſſe & non dubitaſſe. Dubitavit enim annon ejus eſſet naturæ, ut ſemper falleretur, cum de eo ſibi dubitandum eſſe agnovit propter argumenta ab eo propoſita in aditu Philoſophiæ : ſimul etiam non dubitavit annon ejus eſſet naturæ ut ſemper falleretur, cum decrevit de eo non amplius dubitare poſt expenſa hæc argumenta. Nam qui deſinit dubitare an ejus ſit naturæ ut ſemper fallatur, jam certus eſt ſe eſſe, vel non eſſe ejus naturæ, ut ſemper fallatur : qui vero dubitat an ejus ſit naturæ ut ſemper fallatur, certus non eſt ſe ejus eſſe, vel non eſſe naturæ ut ſemper fallatur. Uno igitur & eodem tempore certus fuit Carteſius, & certus non fuit ſe ejus eſſe naturæ ut ſemper falleretur, hoc eſt, de eo dubitavit & non dubitavit. Quæ manifeſto ſibi adverſantur. Quemadmodum ſi quis fingat naturam humanam ratione præditam non eſſe, ut id fingendo occaſionem ſibi præbeat, rationes comminiſcendi, quibus eam ratione præditam eſſe probet ; is profecto pugnantia ſibi finget, ſibique ipſi contradicet : ſimul enim ponet naturam humanam ratione præditam non eſſe, talem eam eſſe fingens ; & ratione præditam eſse, rationes afferre ſtatuens, quibus eam ratione præditam eſse demonſtret. Ajo denique fruſtra dici a Carteſianis, hanc habuiſse rationem Carteſium, quam volunt, cur dubitandi legem proponeret. Nam cum argumenta afferret, cur a dubitatione ſuam ordiretur Philoſophiam, multa quidem & gravia propoſuit ; neutiquam vero iſtud quod proferunt ; ut

ſibi

ſibi cauſsa eſset ea ipſa explorandi. Minime quoque ad tempus dubitare ſe dixit; ſed ea e contrario propoſuit argumenta dubitandi, quæ nulla unquam ratione elui poſſint. Quoniam autem meminit nondum ſublatum eſſe propoſitum a ſe ſuperius dubitandi argumentum, id nunc facere aggreditur. A Deo, inquit, ita factus eſse non poſsum ut ſemper fallar; nam id ſi eſset, Deus, eſset deceptor; nullam autem habeo cauſsam cur exiſtimem Deum eſse deceptorem; contra vero, cum ſit ſumme bonus & ſumme perfectus, fallere me non poteſt. Si mecum Chriſtiana religione imbuto agis, Carteſi, habebis utique non repugnantem, fateborque Deum ſumme veracem & perfectum nolle me ſemper fallere. Verum pugnamus hìc ratione, non Fide; ex Philoſophiæ principiis, non Theologiæ. Finge te itaque agere cum priſco aliquo Philoſopho: ſic ille tecum diſputabit. Si neſcis, Carteſi, annon ſemper fallaris, neſcis quoque annon fallaris, cum ais, Si ita a Deo factus eſsem ut ſemper fallerer, Deus eſset deceptor: & in eo ſane falleris, nam is eſt deceptor, cujus dictis facta abludunt, & aliud præſtat ac pollicitus eſt; Deus autem homini pollicitus non eſt, fore eum ita a natura comparatum, ut in rebus perſpicuis numquam fallatur. Jam ergo qui de perſpicuis dubitare te velle dixeras, ne dubitas quidem de falſis. Addet præterea is, quem fingimus, Philoſophus, neſcire te annon fallaris cum ais, Deus quod ſit ſumme bonus me non poteſt fallere; nec te ſcire, inquam, certo quid ſit Deus, quid poſſit, quid velit: deinde aliud eſse nos fallere, *& proprie ac poſitive eſſe cauſſam errorum*; aliud vero, ſinere nos falli; quemadmodum aliud eſt ho-

mi-

minem occidere; aliud impendenti morti; de qua tamen ſæpius monueris, non eripere. Addet etiam, ut Deus fallax dici non poteſt, quod tales non effecerit, ut aliquando fallamur; nihilo magis fallacem dici poſse, etiamſi tales nos effeciſset, ut ſemper falleremur: imo vero, cum crebro nos prolabi in errores ſciamus, ſi pii eſse volumus, imbecillitatem noſtram expertos demiſiſſime de nobis debere ſentire; quantumque Deo, qui ſumme ac ſemper verax eſt, inferiores ſimus ſubjectiſsime agnoſcere: & ab inſcitia noſtra ad laudem Dei, non ad querelas & criminationes excitari; atque ita ad ejus gloriam conditos eſse nos arbitrari. Docuiſti ipſe tu, inquiet, Carteſi (1), Deum errorum noſtrorum auctorem fingi non poſse, etiamſi intellectum noſtrum intra certos ſciendi & cognoſcendi limites concluſerit, noſque erroribus obnoxios effecerit; imo gratias illi habendas eſse de bonis quæ nobis largitus eſt; minime expoſtulandum, quod non quæcumque largiri poterat, largitus ſit; liberam quippe ejus eſse in nos poteſtatem. Cur Deus autem verax & beneficus habebitur, ſi tales nos effecerit, ut ſæpe fallamur? deceptor contra, ſi ſemper fallamur? Annon tales nos fingere potuit, ut numquam falleremur? at quamvis id omne nobis tribuerit, quod poterat tribuere, fateris tamen nullo nos id jure queri poſse; quo jure vero fallaciæ eum argues, ſi omninò id nobis denegavit, quod denegare potuit? Annon tam libera fuit ejus poteſtas, ut omnem, quam ut aliquam

(1) *Carteſ. Princ. Par. I. §. 29. & ſequent. Medit. 4.*

quam nobis veritatis notitiam eriperet? Quam inane præterea eſt quod ais, te cauſſam non habere, cur ita te factum à Deo exiſtimes, ut ſemper fallaris! annon falleris aliquando? qui vero ita factus eſt, ut aliquando fallatur, annon ſuſpicari poteſt ſe ita eſse factum, ut ſemper fallatur? annon fateris ipſe, Carteſi (1), tam fieri poſſe ut ſemper, quàm ut aliquando fallamur? fallimur autem ſæpiſsime. Annon ſciſcis ipſe, imprudentem eſse qui nimis iis confidat, quæ nos vel ſemel deceperunt? quàm ſæpe autem fallit nos noſtra ratio? Sic tecum aget, inquam, Philoſophus ille. Subjungit deinde Carteſius, ne quidem adhuc ſe ſatis ſcire, an Deus ſit aliquis; nedum an ab eo falli poſsit; ac propterea hæc ſibi poſtmodum d ſquirenda proponit. Quænam vero hæc eſt in argumentando perverſitas? Ignorare ſe primum dixit, annon à Deo ita ſit conditus, ut ſemper fallatur; ac propterea ſibi de omnibus eſse dubitandum: tum quaſi exploratum habeat, ſe à Deo ita non eſse conditum ut ſemper fallatur, ſumit quæſitum pro conceſso, & multa eſse docet de quibus non liceat dubitare; ac iis deinde ſine dubitatione admiſsis demonſtrare conatur Deum eſse; ac demum talem ſe à Deo non eſse creatum, ut ſemper fallatur. Nonne propoſito primum hoc dubitandi argumento, quod neſciat annon ita à Deo ſit factus ut ſemper fallatur, tollere illud debuit, antequam ulterius progrederetur? & demonſtrato hoc, ſe à Deo non eſse ita factum, ut fallatur in rebus lumine naturali cognitis, probare deinde cognitum ſibi eſse lumine naturali,

C rali,

(1) *Carteſ. Princ. Part.* 1. §. 4. & 5.

rali, ſe cogitare; ac demum ſibi cognitum eſse lumine eodem, ſe eſse quia cogitet? Contra vero vitioſum illum admisit ratiocinationis circulum, Incertum eſt lumen naturale; cum ignorem annon ejus ſim naturæ ut ſemper fallar: Non fallor cum dico, *Ego cogito, Ergo ſum*, cum certum ſit lumen naturale.

XIII. Hinc extricare ſe poſſe putarunt recentiores quidam Carteſianæ doctrinæ patroni, cum dicerent Deum, etiamſi fingatur fallax, non tamen fallere nos poſſe in iis rebus quas cognoſcimus per ſimplicem, ut vocant, viſionem, non per ratiocinationem: cujuſmodi eſt illud, Bina binis adjuncta efficere quatuor; & cujuſmodi illud quoque eſſe volunt, Me eſſe, quia cogito. Primum, cur ſentiant falli nos non poſſe in iis quæ cognoſcimus per ſimplicem viſionem, rationem afferunt nullam. Imperioſi homines, qui hic & alias ſæpe opiniones ſuas edunt tanquam reſponſa e tripode, & pronis animis accipi volunt; præpoſteri etiam, qui eam tueri ſe poſſe putant Philoſophiam, cujus fundamentum dubitationes ſint, figmenta faſtigium. Pyrrhones in aditu, in exitu meri Pythagoræ. Nam qui omnia juſſerunt haberi pro falſis, cur effatum hoc pro vero admittit ſine argumento poſtulare audent? Pari ſupercilio, nullo allato argumento definiunt cognoſci enuntiatum iſtud, *Ego cogito, ergo ſum*, per ſimplicem viſionem, non per ratiocinationem; quod falſiſſimum eſſe demonſtravimus. At recentiores nonnulli Carteſia-

XIII. *An verum ſit, Deum nos fallere non poſſe in iis rebus quas cognoſcimus per ſimplicem viſionem.*

teſiani, prioribus illis ſuccenturiati, opinionem illam fulcire connati ſunt hoc argumento, ſi ea quæ ſibi per ſimplicem viſionem cognita ſunt, falſa eſſe poſſent, futurum ut nihilum eſſet cauſa archetypa ſuarum idearum: quod fieri omnino non poſſe autumant: Qua locutione captioſa & obſcura id tantum ſibi volunt, ideas ſuas ſine cauſſa archetypa eſſe non poſſe. Quod an conſentiat cum decretis Carteſii, videamus. Tria is ponit idearum genera, earum quæ in nobis innatæ ſunt, adventitiarum, & factitiarum; eas autem quæ in nobis ſunt innatæ, a rebus externis proficiſci negat. Id ſi ſit, harum certe idearum cauſſa nulla archetypa eſt. Nam ſi cauſſa illa dicatur eſſe in Deo, cauſſæ quoque archetypæ falſarum idearum in Deo eſſe dicentur; cum efficere Deus poſſit, ex ſententia Carteſii, ut res falſæ veræ ſint. Rerum certe multarum ideas naſcentibus nobis inſerere potuit Deus, quæ nuſquam extiterunt; nec propterea fallax eſſet; quippe ſi res illas judicaremus extare, ipſi nos falleremus. Præterea quænam dicetur eſſe cauſſa archetypa puncti Geometrici? Cum dubitaret Democritus, atque ipſe etiam Carteſius, an extaret aliquid; tum in ſe utique agnoverunt multarum rerum ideas, quarum nullam extare fingebant cauſſam archetypam. Nec impune interim ferre Carteſianos ſinamus, quod cognoſcere ſe aiunt per ſimplicem viſionem, bis bina eſſe quatuor; quæ propoſitio eſt; ſive, uti vocant, *judicium*, quod fit per ſecundam mentis oportationem; in qua cum *prædicatum* adjungatur *ſubjecto*, ut eo cognoſcatur, tria in ea cognoſcenda ſunt, *prædicatum* nempe, & *ſubjectum*, & utriuſque connexio. Quod autem multiplex eſt, cognoſci non poteſt per ſim-

plicem viſionem. Verum qui idem de tertia mentis operatione, ſive ratiocinatione aſſeverare auſi ſunt, mirum ſi hoc & de ſecunda ſenſerunt? Nec id temere: argumentationem hanc, *Ego cogito, Ergo ſum*, ex tertio ordine operationum mentis revocant ad ſecundum; ne memoriæ lapſibus obnoxia ſit; nunc ex ſecundo ordine detrudunt in primum, ut eam *judiciorum* ſive opinionum erroribus ſubducent. Quod ajunt deinde fingi non poſſe à Deo hujuſmodi hominem qui veritatem nullo modo agnoſcat; etſi hoc ego homo Chriſtianus fateor perlibenter, at quo tandem pacto conſentire id poteſt pervulgato huic Carteſianæ Philoſophiæ decreto, Efficere Deum poſſe, ut duo & duo non ſint quatuor, & ut repugnantia effata ſimul vera eſſe poſſint? Fingamus enim Deum id effeciſſe quod efficere poſſe ajunt, & bis bina non efficere quatuor; tum certe fallar cum cognoſcam, ſive per ſimplicem viſionem, ſive quocunque alio modo, duo duobus addita eſſe quatuor. Fingamus quoque Deum effeciſſe, ut qui cogitat non ſit, vel ut non cogitet cum cogitat, fallar profecto cum dicam, *Ego cogito, ergo ſum.* Efficere igitur Deus poteſt, ut fallar in iis, quæ cognoſco per ſimplicem viſionem, quandoquidem efficere poteſt ut falſa ſint, quæ per ſimplicem viſionem vera eſſe cognoſco. Denique quomodo hæc conſentiunt & iſti Philoſophiæ ejuſdem præcepto, quo jubemur habere pro falſis principia omnia Geometriæ, ac propterea & iſtud, Totum eſt majus ſua parte? Cum enim pronuntiatum iſtud, Duo duobus addita efficiunt quatuor, pendeat ex univerſali hoc effato, Totum eſt æquale omnibus ſuis partibus ſimul ſumptis; atque id porro conjunctum ſit & copula-

pulatum alteri huic, Totum eſt majus ſua parte, quonam argumento falſum habebo poſtremum hoc; prius vero ita certum eſſe credam, ut in eo ne à Deo quidem falli poſſim? Videtis inconſtantiam & diſſenſionem faſtidioſæ illius Philoſophiæ, quæ certam ſe jactat reperiſſe viam veritatis.

XIV. Ergo cum ſcribit Carteſius in Methodo ſe Philoſophiam primum capeſſentem, & à dubitationibus exordiendum eſſe cenſentem, dubitandum non eſſe decreviſſe more Scepticorum, *qui dubitant*, inquit, *ut dubitent, & præter incertitudinem nihil quærunt*, ſed dubitationes ſuas reprenſiſſe & fixiſſe in certiſſima principii hujus notitia, *Ego cogito, ergo ſum*: cum, inquam, hæc ſcribit, in eo errare incipit, quo incipit diſcrepare à Scepticis. Hi enim & ille viderunt eſſe dubitandum; at dubitare ille tum deſiit, cum erat maxime dubitandum; in hoc videlicet principio, quod non minus incertum eſt ac reliqua omnia quibus adductus erat ad dubitandum; hi dubitare pergunt in eodem illo principio, de quo vel maxime dubitandum eſſe vident: haudquaquam certe dubitantes ut dubitent; quod minime inſimulaſſet Carteſius, ſi rationes eorum diligentius perſpexiſſet; ſed ideo dubitantes, quod nihil ipſis ſatis liquido, ſatiſve certo percipi poſſe videatur. Scirent vero Carteſiani ultimum Scepticæ Philoſophiæ finem non eſſe dubitationem, ſed animi tranquillitatem in iis quæ pendent ex opinione, conſtantiam in iis quæ vitari non poſſunt: dubitationem vero, hoc eſt ἐποχὴν

 finem

XIV. *Carteſius in exorſu Philoſophiæ Academicos & Scepticos affectatus, ſtatim erat, ut eſt deſerit.*

finem quoque eſſe, ſed proximum; unde oritur tranquillitas animi & conſtantia, in quibus conquieſcebant, ſic tanquam in fine ultimo; in ἐποχῇ vero tantiſper hærebant, quoad quæſitæ tranquillitatis & conſtantiæ compotes eſſent. Scirent etiam fruſtra Scepticis objici a Carteſio, eos ἐποχῇ ſua tanquam compede conſtrictos, pericula ac mortem ipſam non vitaſſe. Reipſa factum id ab iis cenſuit vulgus, quod ex eorum doctrina conſequi adverſarii cauſſabantur, & ex Antigoni Caryſtii fide proditum hoc eſt a Diogene Laërtio, in opere tumultuario atque rudi, neque poſtremis curis perpolito, in quod ſine delectu congeſtum eſt, quidquid vel excepit ex rumoribus vulgi, vel in veterum ſcriptis obvium habuit. Tantum autem ab hac inſania abfuerunt Sceptici, ut potius ex ſectæ ſuæ inſtituto deberent obſequi legibus, moribuſque receptis, & communi vitæ uſui. Quæ clariſſime explicata ſunt a Sexto Empirico. Scirent præterea Carteſiani, non ſolam hanc nec præcipuam habuiſſe Scepticos aſſenſionis retinendæ cauſſam, quam afferunt ac derident: nempe quod aliquando reperiri poſſint rationes diſſentiendi, iis rationibus contrariæ quæ non ad aſſentiendum nos impellunt. Longe plures habuerunt Sceptici cauſſas dubitandi, ex quibus prodierunt decem modi ἐποχῆς, quos commenti ſunt vetuſtiores; tum quinque alii deinde ſunt excogitati; & alii poſtmodum duo; & octo demum, quibus recentiores uſi ſunt adverſus Dogmaticos. Scirent quoque vel hanc ipſam ἐποχῆς cauſſam, quam ludibrio habent, probam eſſe atque rectam. Annon enim magiſtra ætate, experientia, ſtudio, meditatione ſapientiores fiunt homines,

emendatis infantiæ opinionibus, erroribus depoſitis? Scirent etiam longe aliud eſſe, fontem ultimum dubitationis habere dubitationem ipſam, quod Scepticis tribuit Carteſius; aliud dubitare, ne novis repertis rationibus temerariæ aſſenſionis aliquando nos pœniteat. Scire ut denique falli ſe vehementer, cum putant negare non poſſe Scepticos, evidens eſſe hoc argumentum, *Ego cogito*, *Ergo ſum*; cum e contrario unum hoc ſit e præcipuis Scepticæ doctrinæ capitibus, nihil eſſe evidens. Vel inde ergo intelligat ſuperba illa gens Carteſianorum, contemnere ſolita veterum doctrinam, unam ſuam mirari, & ſua inſcitia gloriari, quàm ſint præpoſteri & imprudentes, cum ea ſcire videri volunt, quæ neſciunt; ſibique multo eſſe conducibilius remittere aliquid de hoc faſtu, & ad antiquæ philoſophiæ ſtudia demittere animum, quam ex turpi ignorantia dedecus ſibi conſciſcere.

XV. Quorum doctrinam convellere dum nititur Carteſius, valide ſane confirmat hoc argumento quod excuſſimus, neſcire nos annon ita a Deo facti ſimus, ut ſemper fallamur. Hinc enim argumento cum unicam illam habuerit contradictionem quam opponeret, ſi ita eſſemus à Deo facti ut ſemper falleremur, Deùm fore deceptorem; nec eam reliquæ ejus doctrinæ conſentaneam eſſe oſtenderimus, manifeſtum eſt nihil Scepticorum & Academicorum ſectæ conducibilius afferri potuiſſe. Fatentur enim Carteſiani omnes, ipſeque adeo Carteſius, niſi conſtet nos ita à Deo non eſſe factos, ut

XV. *Fatetur Carteſius nullam nos habere veritatis normam, niſi conſtet nos ita à Deo non eſſe factos, ut ſemper fallamur.*

ſemper fallamur, ſcire nos non poſſe an certa ſint Theoremata Geometrarum, an ulla extet materia rerum, reſve ullæ materia concretæ, & an mundus iſte aſpectabilis revera extet, uti extare videtur, & nullam denique nos habere normam veritatis; ac ne ſomnia quidem à rebus veris internoſci poſſe: quæ mere Sceptica ſunt. Nam quod ajunt Carteſium dubitationem ſimulaſſe, Scepticos revera dubitaſſe; poſtremum hoc fatemur, prius illud nullo argumento approbant. Qua enim nota diſcerni poſſit ſimulata illa dubitatio Carteſii a vera dubitatione ſcepticorum? Philoſophantur Sceptici itidem ut Carteſius, veritatem anquirunt utrique, utrique errores vitant, vitari eos per dubitationem utrique cenſent, ideoque dubitationem utrique profitentur. Verum cum urgentur utrique ab adverſariis, Carteſius in manifeſta inconſtantia & opinionum diſcrepantia deprehenſus, ſuſceptam ejurat dubitationem, & poſtquam ejus commodis ad Philoſophiam ſuam abuſus eſt, ſimulationem ſimulat, ne ſinceræ dubitationis noxas præſtare cogatur; quod Philoſophico candore indignum eſt. At egregie contra ſibi conſtant Sceptici; dubitationem ſuam per dubitationem defendunt, nec diſcendunt a ſuis principiis; cum iiſdem artibus ac Carteſiani, ſimulatione eadem, ac pari jure cauſſam ſuam tueri poſſent. Ex his porro exoritur alia diſputatio de norma, quàm ad veritatem explorandam adhiberi juſſit Carteſius. Quæ veritatis explorandæ norma ſi exploretur ipſa ad normam judicii, prava & tortuoſa eſſe deprehendetur. Atque id ſanæ, ut facimus, poſtulat ordo inſtitutæ diſputationis.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

Expenditur Carteſii ſententia de Criterio.

I. Perverſum Criterii quærendi viam inſiſtit Carteſius. II. In eo quærendo parum ſibi conſtat. III. Et in eo quoque aſſignando. IV. Diſtinguit claram & diſtinctam Perceptionem à Lumine naturali, & à Perſpicuitate generaliter ſumpta, & à Notitia rei ex re ipſa hauſta. V. Lumen naturale Carteſii non eſt certum Criterium. VI. Neque clara ejus & diſtincta Perceptio. VII. Quid ſit idea, juxta Carteſium. VIII. Refelluntur argumenta, quibus probare conatus eſt Carteſius, claram & diſtinctam Perceptionem eſſe certum Criterium. IX. Argumentis oppugnatur hoc Criterium. Primum argumentum. X. Secundum argumentum. XI. Tertium argumentum. XII. Quartum argumentum. XIII. Quintum argumentum. XIV. Neque Perſpicuitas, neque Notitia rerum à rebus ipſis hauſta, ſunt certa Criteria. XV. Refelluntur præcepta veri cognoſcendi à Carteſio tradita. XVI. Inanis eſt, quam ad percipiendum verum adhiberi volunt Carteſiani, Attentio. XVII. Carteſius dubitans in exorſu Philoſophiæ ſuæ, confidens in progreſſu. XVIII. Quam ejus confidentiam Carteſiani ſuperarunt.

I. ANtequam ſuam de Criterio, ſive de norma veritatis ſententiam proponeret Carteſius, nonnulla præmiſſa ſunt ab eo, quæ ſunt hujuſmodi, ut iis in-

I. *Perverſam Criterii quærendi viam inſiſtit Carteſius,*

ſtructi & præmuniti nullum deinceps Criterium poſſimus admittere. Primum enim nos monuit de omnibus omnino rebus eſſe dubitandum; quod in magna opinionum pravitate verſemur ab ipſo ortu, & errorem ſuxerimus cum lacte nutricis; quod ſæpe nos a ſenſibus & ratione noſtra falli experiamur; & quod neſciamus an ita forraſſe nos finxerit Deus, ut ſemper fallamur, etiam in rebus notiſſimis. Deinde poſtquam nos in magnam de rebus omnibus dubitationem adduxit, ac pro falſis etiam habere eas nos voluit, multa ſtatim nos jubet admittere, tanquam nulli dubitationi obnoxia, & ex hac generali dubitandi lege excepta; vel quaſi ex craſſiſſimis inſcitiæ tenebris derepente in clariſſimam evaſerimus lucem veritatis. Talia ſunt iſta. Nos cogitare; Ex eo quod cogitemus, ſequi nos eſſe; Mentem a corpore eſſe diſtinctam; Mentem noſtram nobis eſſe notiorem quam corpus; Deum eſſe; Deum fore fallacem ſi ſemper fallamur, aliaque plurima hujuſmodi. Atque his demum poſitis, concludit non poſſe nos ſemper falli; imo numquam falſum pro vero a nobis admiſſum iri, ſi iis tantum aſſentiamur quæ clare & diſtincte percipiemus. Is philoſophandi ordo quàm ſit perverſus, manifeſtum eſt: nam ſi quæcunque ſub ſenſus & rationem cadunt, falſitatis ſuſpecta nobis eſſe debent, antequam iis aſſentiamur, eluenda primum hæc eſt ſuſpicio falſitatis, quod fieri minime poteſt niſi adhibita veritatis norma. Qui enim certior fiam de rei veritate, niſi ſcivero prius quid ſit veritas, quæ ſit nota veritatis, quis character, quod criterium, quo internoſci poſſit a falſitate? Omni igitur aſſenſioni præverti debuit inquiſitio normæ hujus.

jus. Ut enim quiſquis ædificium extruere parat, regulam prius adornat & perpendiculum: ita antequam nobile hoc Philoſophiæ, quæ tota in veritate percipienda verſatur, ædificium moliare, comparanda tibi primum eſt norma veritatis, ad quam exigas quidquid in hanc ſtructuram admittes. Contra vero Carteſius, poſtquam ad veritatis normam revocanda eſſe omnia docuit, quærere hanc normam tantiſper differt, multaque interim ſine ea admittit, in quibus eam demum reperiri putat. Atque ita ad ædificii ſui legem normam parat, non ad normæ legem ædificium. Reſpondent Carteſiani, ipſam normam veritatis, argumentum nempe iſtud, *Ego cogito*, *Ergo ſum*, eſſe veritatem; propterea que admittere debuiſse Carteſium veritatem hanc, qua veritatis continetur norma, antequam norma hac uteretur; falli igitur qui putant aliud eſse normam veritatis ac ipſam veritatem, cum nihil aliud ſit norma iſthæc, quam veritas ipſa ex ſe nota. Quo nihil abſurdius dici poteſt. In omni enim enuntiato manifeſte vero tria neceſsario inſunt, enuntiatum ipſum, veritas enuntiati, & character ſeu nota veritatis. Quæ tria omnino diſtincta ſunt. Nam cum in enuntiato falſitas ineſse poſſit ut veritas, & unum idemque enuntiatum aliquando verum ſit, aliquando falſum, manifeſtum eſt falſitatem & veritatem ab enuntiato diſtinctam eſse, ut qualitates a *ſubjecto*. Character item veritatis aliud eſt ac veritas ipſa, eoque diſcernitur a falſitate, ut nota rei aliud eſt ac res notata. Tria hæc tamen confundunt Carteſiani. Demus enim verum eſse hoc argumentum, *Ego cogito*, *Ergo ſum*, in quo tria enuntiata continentur, & veritatem ejus per ſe notam eſse; aliud certe

eſt veritas hujus argumenti ac argumentum ipſum ; veritas autem argumenti hujus, undecunque tandem cognita ſit, cognita certe eſse debet per characterem ſuum ſive criterium, hoc eſt per certas notas quibus internoſcatur a falſitate. Nam cum quæratur inter nos character ille veritatis, pro eo perperam ſubjiciunt nobis Carteſiani veritatem ipſam; imo pro veritate enunciatum ipſum in quo veritas reperitur. Quo jure autem tribuetur id huic enuntiato, ſive argumento, *Ego cogito, Ergo ſum*; non iſti enuntiato, *Totum eſt majus ſua parte*, cæteriſque enuntiatis, quorum veritas per ſe cognita eſt? Cur potius veritas enuntiati hujus, *Ego cogito, Ergo ſum*, norma erit veritatis enuntiati iſtius, *Totum eſt majus ſua parte*; quàm ex veritate poſtremi hujus æſtimabitur veritas prioris illius? Imo vero, cum nihil habeant commune enuntiata hæc duo, quomodo alterius veritas ex veritate alterius ſpectari poterit? Deinde, si veritas omnis, ſive per ſe nota ſit, ſive per aliud, charactere hoc veritatis inſignita eſse debet, quo a falſitate internoſcatur, hic vero character veritas ipſe eſt, profectò ſecundaria hæc veritas ſuum quoque ipſa characterem veritatis gerit, hoc eſt veritatem: atque ita res abibit in infinitum. Minime ſane peccatum in eo eſt a Carteſio (1); nam cum inveſtigaret criterium veritatis in Libro de Methodo, diſerte docet ſe perſpecta veritate enuntiati hujus, *Ego cogito, Ergo ſum*, quæsiviſse in quo poſita eſset veritas illa; cumque agnoviſset non ex alia nota a ſe deprehenſam eam eſse, quàm ex inſigni ejus per-

(1) *Carteſ. de Method.* §. 4.

perſpicuitate, *crediditſe ſe pro regula generali ſumere poſſe, omne id quod valde dilucide & diſtincte concipiebat, verum eſſe.* Non enuntiatum, non veritatem enuntiati criterium eſse vult & normam veritatis, ſed perſpicuitatem.

II. Tam parum vero ſibi conſtat, ut in eodem libro Principiorum, in eadem libri parte, in quo hunc philoſophandi ordinem inſtituerat, aliiſque præterea locis diverſas plane veritatis indagandæ leges ferat. Depoſitis enim primum anteceptis opinionibus, ad notiones nobis inſitas attendere nos jubet, eaſque duntaxat pro veris admittere, quas clare & diſtincte percipimus; quo facto, ſtatim agnitum iri ait, nos eſse, ut pote qui cogitamus; tum eſse Deum, & nos ab illo pendere; & ex hac Dei cognitione, cæterarum rerum, quarum Deus cauſa eſt, duci notitiam. Quæ legibus ſupra traditis quam congruant, cognoſcite. Sic argumentatus fuerat Carteſius in aditu operis, Ego cogito, ergo ſum: Ideam Dei menti impreſsam habeo, ergo Deus eſt: Deus non poteſt me fallere, ergo quæ clare & diſtincte percipio vera ſunt. Nunc invertit argumentationem, & ſic diſputat, Quæ clare & diſtincte percipio vera ſunt, Clare & diſtincte percipio me cogitare, & eum qui cogitat neceſsario eſse, ergo ſum, Clare & diſtincte percipio me ideam Dei menti impreſsam habere, ergo Deus eſt. Ex eo quod clara & diſtincta perceptio vera ſit, colligit ſe eſse, atque item Deum: mox tamen ex eo quod ſit, atque item ex eo quod ſit Deus, collegerat claram & diſtinctam perceptionem veram eſſe. In quo di-

II. *In eo quærendo parum ſibi conſtat: Carteſ. Princip. Part.* I. §. 75. *de Method.* §. I.

diſputat per modum δι'ἀλλήλων, ſive circulum. Ut ſi dicat, Petrus eſt homo, Ergo Petrus eſt animal rationale, cum prius dixerit, Petrus eſt animal rationale, Ergo Petrus eſt homo. Ad ea perfaceta eſt Carteſianorum reſponſio; nullum hic ineſſe circulum, ſed geminum ſolummodo argumentandi modum; priorem quem vocant Analyſin; poſteriorem, Syntheſin. Quæ confidenter dicta animos puerorum permovere poſſunt; non eorum, quibus perſpecta ſit Analyſeos & Syntheſeos ratio. Analyſin appellant Philoſophi, progreſſum animi a veritate ſingulari cognita ad univerſalem incognitam: Syntheſin, progreſſum animi a veritate univerſali cognita ad ſingularem incognitam. Priore uſus eſt Carteſius, cum a cognitione cogitationis ſuæ aſcendit ad cognitionem ſuæ *exiſtentiæ*, ab hac ad illam diſtinctionis animi & corporis; inde ad Dei *exiſtentiam*; quo ultimo gradu nixus eo tandem pervenit ut cognoſceret quidquid clare & diſtincte a ſe percipitur, id eſſe verum. Viderimus nunc an per Syntheſin ordinem hunc invertat an pervertat. Statuit ante omnia id eſſe verum quod clare & diſtincte a nobis percipitur; quo poſito, futurum ut cognoſcamus nos eſſe, quia cogitamus; tum deinde Deum eſſe. At cum Syntheſis a veritate univerſali cognita deſcendat ad ſingularem incognitam, propoſitio iſthæc, *Quidquid clare & diſtincte a nobis percipitur, verum eſt*, debet eſſe veritas univerſalis cognita: iſta vero, *Deus eſt*, debet eſſe ſingularis incognita. Contra vero ſcribit in Libro de Methodo (1): *Hoc ipſum quod pro regula aſſumpſi, nempe illa omnia quæ clare & di-*

(1) *Cart. de Method.* §.4.

diſtincte concipimus, vera eſſe, non aliam ob cauſſam ſunt certa, quàm quia Deus exiſtit. Et in quinta Meditatione: *Plane video omnis ſcientiæ certitudinem & veritatem ab una, veri Dei cognitione pendere, adeo ut priuſquam illam noſſem, nihil de ulla alia re perfecte ſcire potuerim*. Cum ergo ex agnitione Dei veritatem enuntiati hujus pendere velit, *Quidquid clare & diſtincte percipitur, verum eſt*, nullaque cognitio cognitioni huic præverti poſſit, notiorem eſſe Deum, quàm propoſitionem hanc neceſſe eſt. Non ergo a veritate univerſali nota ad ſingularem incognitam deſcendit, quod ratio Syntheſeos poſtulabat, nec proinde Syntheſi uſus eſt. Res exemplis clarior fiet. Qui ruſtico monſtrat viam, qua ex ipſius pago Lutetiam itur, idem propemodum facit ac qui utitur Analyſi, ex ſingulari cognito hominem deducens ad univerſale incognitum. Qui homini Pariſino monſtrat viam, qua Lutetia itur ad hanc pagum, idem facit ac qui utitur Syntheſi, qua ex univerſali cognito itur ad ſingulare incognitum. Utraque ratione via hæc monſtrari poteſt; quippe ſive itione, ſive reditione, eadem calcanda eſt via; tamque commode Lutetia ad pagum iri poteſt, quàm ex pago Lutetiam. At ſi magnarum aliquarum ædium loca omnia quiſpiam alteri monſtrare velit, ex atrio primum in œcum deducet hominem, ex œco in cubiculum, ex cubiculo in ſecretius conclave: minime vero ex intimo hoc conclavi primum in cubiculum; inde in œcum, ex œco in atrium; quippe prius adeundum eſt atrium, cæteraque ordine loca, quàm veniatur ad intimum conclave. Nugantur etiam Carteſiani, cum hìc normam veritatis, ſive Criterium, confundi putant cum

Ana-

Analyſi & Syntheſi, quæ viæ ſunt veritatis cognoſcendæ. Quæritur enim, an non ratiocinationis circulum admiſerit Carteſius, cum inveſtigaret normam veritatis: quod ab eo peccatum eſſe pertendimus; ſive Analyſin adhibuerit, ſive, ut volunt, Syntheſin. In quo ſane nulla eſt Analyſeos & Syntheſeos cum norma veritatis confuſio.

III. Nunc exploratis viis, quibus ad Criterium ire inſtituit, ſi inveſtigemus ejus ſententiam ſuper ipſo Criterio, ex cujus cognitione pendet omnis Philoſophia, rem itidem inconſtanter ab eo diſputatam reperiemus, obſcure etiam & confuſe; non ea firmitate & accuratione, quam rei dignitas poſtulabat. Poſtquam enim in tradendis Philoſophiæ principiis demonſtraſſe (1) ſibi viſus eſt, nos ita non eſſe comparatos, ut ſemper fallamur, inde colligit certum eſſe, numquam nos falſum pro vero admiſſuros, ſi iis tantum aſſentiemur, quæ clare & diſtincte percipiemus: tum deinde in reliquo opere, aliiſque ſcriptionibus, claram illam & diſtinctam perceptionem adhibet, velut certiſſimam ac unicam veritatis normam: ex qua etiam Dei potentiam exiſtimat. Attamen antequam ex Dei notitia normam hanc conflaviſſet, multa admittenda eſſe cenſuerat; idcirco quod lumine naturali, & perſpicue, & per ſe nota eſſent. En alia igitur Carteſii Criteria. Lumen naturale, Perſpicuitas, & Notitia rei ex ipſa re hauſta. Sed & aliis præterea ac diverſis pro tempore utitur Criteriis, quæ nunc prætereo.

IV. Hinc

III. *Et in eo quoque aſſignando.*
(1) *Carteſius Princip. Part. I. §. 43.*

IV. Hinc manifeſtum eſt cenſuiſſe Cartesium Perceptionem hanc claram & diſtinctam, aliud quid eſſe ac Lumen naturale: nam ex hoc Lumine naturali multa colligit, antequam decreverit & probaverit pro veris ea eſſe habenda, quæ clare & diſtincte percipimus. Sed & ea aperte diſtinguit, cum docet Lumen naturale rem nullam attingere quæ non sit vera, quatenus ab hoc Lumine attingitur; hoc eſt, quatenus clare ac diſtincte percipitur. Ex quibus efficitur, Lumen naturale id eſſe quod rem objectam attingit; Perceptionem vero claram & diſtinctam eſse actionem, qua res a Lumine naturali attingitur. Quasi Lumen naturale sit Criterium per quod; clara vero & diſtincta Perceptio, Criterium ſecundum quod. At Cartesii aſseclæ quidam, sive Dictatoris ſui mentem non viderint, sive viſam non probarint, & deſerere auſi sint, Lumen naturale a clara & diſtincta Perceptione non diſtinxerunt. Perſpicuitatem autem proponere videtur tanquam generale quippiam, quod in rebus omnibus quas cognoſcimus ineſſe debeat, ut pro veris haberi mereantur; sive per Lumen naturale cognoſcantur a nobis, sive per claram & diſtinctam Perceptionem, sive per ratiocinationem, sive per ſenſus, sive alio quocunque modo. Notitia vero rerum à rebus ipsis hauſta, quàm pro regula veritatis habet Cartesius, eſt ipſa hæc Perſpicuitas, rebus iis tantum inhærens, quas Lumine naturali cognoſcimus, quatenus

IV. *Diſtinguit claram & diſtinctam Perceptionem à Lumine naturali, & à Perſpicuitate generaliter ſumpta, & a Notitia rei ex re ipſa hauſta. Carteſius Princip. Part. I. §. 30.*

nus eas cognoſcimus. Sic Carteſii mentem commode interpretari nos poſse putamus, in re obſcura, nec ſatis explicata conjecturis & ſuſpicionibus utentes. Attentio vero, quàm adeo neceſsariam eſse ad percipiendum verum totis libris prædicant Carteſiani, eſt affectio animi, rem illam unam quam cognoſcere vult, ſepoſitis cæteris, acriter intuentis.

V. Nunc iſta ſigillatim expendamus. Lumen naturale definit Carteſius, *Facultatem cognoſcendi à Deo nobis datam*: unde ſequitur, ea nobis eſse cognita Lumine naturali, quæcunque cognoſcimus per facultatem cognoſcendi a Deo nobis datam. Quidquid autem cognoſcimus, id cognoſcimus per facultatem cognoſcendi a Deo nobis datam. Quidquid igitur cognoſcimus, id cognoſcimus Lumine naturali. Quod valde abſurdum eſt. Deinde qua nota diſtinguam Lumen illud naturale, a lumine non naturali? ſive Lumen directum naturæ, a lumine obliquo vel reflexo artis? aut Lumen illud purum naturæ, a lumine impuro erroris? An quod primo mentis intuitu omnes homines vident & fatentur eſſe verum, id Lumine naturali cognitum eſse dicerit? Qui ſciam vero primo mentis intuitu id videre homines? qui ſciam id videre & fateri omnes homines? an aliquid tanto conſenſu ab hominibus receptum eſt ad hanc diem, ut a nullo repudiatum ſit? quid homini notius eſt quàm ſe eſse? quàm ſe eſse hominem? at dubitabat Democritus an eſſet; dubitabat Socrates, an eſset homo: quid exploratius eſt, quàm totum eſse majus

V. *Lumen naturale Carteſii non eſt certum Criterium*: *Cart. Princip. Part.* 1. §. 30.

jus ſua parte, quàm reliqua principia Geometrarum? at ea tamen multi revocarunt in dubium, & Carteſius (1) ipſe pro falſis habere ea nos juſſit. Demus tamen facile diſcerni ab omni alia cognitione cognitionem per Lumen naturæ hauſtam; quonam argumento ſcire poſſum vera eſſe quæ Lumine naturali cogniſcimus? Deus, inquit, eſſet deceptor. At pergit hebeti hoc telo pugnare, quod jam toties retulimus. Denique cum ſcitum ſit Carteſii, Deum efficere poſſe, ut bis bina non ſint quatuor, ſi fingamus Deum id efficiſſe quod poteſt efficere, fallax erit Lumen naturale quo cognoſco bis bina eſſe quatuor. Certum igitur Criterium hoc eſſe nôn poteſt, quod poteſt eſſe falſum.

VI. Fide detracta Lumini huic naturali, fide quoque caret clara & diſtincta Perceptio: nam Perceptioni huic fidem conciliat Carteſius ex multis pronuntiatis, quæ Lumine naturali nota eſſe vult; imo ex Lumine ipſo naturali. Ait enim (2) *omnium animis a natura impreſſum eſſe, ut quoties aliquid clare percipimus, ei ſponte aſſentiamur, & nullomodo poſſimus dubitare quin ſit verum*. Cum igitur fallere nos poſſit Lumen naturale, fallere utique nos poteſt clara & diſtincta Perceptio. Sed propius tamen inſpiciamus iſtud Criterium.

VII. Item nos clare & diſtincte tum percipere vult Carteſius, cum claram ejus & diſtinctam ideam in animo habemus. Ideæ no-

(1) *Carteſius Princip. Part.* 1. §. 5. & 13.

VI. *Neque clara ejus & diſtincta Perceptio.*

(2) *Carteſius Princip. Part.* 1. §. 43. 44. *De Meth.* §. 4.

VII. *Quid ſit Idea juxta Carteſium.*

nomen etſi ſæpiſſime uſurpat, quid eo tamen ſignificetur, licet a multis rogatus, nunquam aperte explicavit: ut non ſatis claram & diſtinctam ideæ ideam viſus ſit habuiſſe. Ideas Stoici appellabant ἐννόηματα, ſive mentis noſtræ perceptiones. Platonicorum ideas nunc quidem prætermitto. At vulgus Philoſophorum primam tantum mentis perceptionem, quæ *Apprehenſio* dicitur in Scholis, Ideæ nomine afficit. Hanc ſignificationem nonnumquam retinet Carteſius, & ideam vult eſſe actionem mentis, qua ad rerum imagines ſe applicat, ſive modum quemdam cogitandi; nonnunquam vero Ideam ait eſſe imaginem rei ipſius, non in phantaſia, ſed in animo ſignatam, atque huic proprie nomen Ideæ convenire. Ideas autem illas, ſive imagines rerum, trifariam partitur; ut aliæ ſint adventitiæ, qualis eſt Idea Solis, quæ Sole conſpecto in mentem admiſſa eſt; aliæ factitiæ, qualis eſt Idea Sirenis. Centauri, Chimæræ, aliæ innatæ, ſive naturales, qualis eſt Idea Dei, mentis, cogitationis, veritatis, trianguli, numeri, aliarumque rerum hujuſmodi. At alibi non imagines ſolum rerum ſingularum, ſed comparationem quoque imaginum illarum, quæ ſecunda mentis operatio eſt, & Judicium vulgo nominatur, Ideam vocat. Nonnunquam etiam idem ait ſe vocabulum tribuere iis omnibus quæ in mente habere poſſumus; ac proinde & ratiocinationi, quæ tertia mentis actio eſt. Ideam autem claram vocat, quæ menti attentæ præſens eſt & aperta: ut ea clare videre nos dicimus, quæ præſto ſunt oculo recta intuenti, eumque valide & aperte movent; diſtinctam vero, quæ ab omni alia re ita ſejuncta eſt, ut nihil in ſe contineat aliud, quàm quod clare in ea percipitur.

cipitur. Cum igitur Idearum nomine ſignificari velit Carteſius, non imagines ſolum rerum menti impreſſas, imaginumve illarum perceptionem, qua conſtat prima mentis operatio; ſed comparationem quoque imaginum illarum, qua conſtat ſecunda; atque etiam collationem comparationum illarum, ſive ratiocinationem, qua tertia; eo tandem redit ejus ſententia, ut normam veritatis eſſe velit quamcunque operationem mentis, atque imagines etiam rerum menti impreſſas; modo iis adjuncta ſit perſpicuitas, ſejunctæ vero ſint ideæ aliarum rerum omnium ab idea rei quæ in mente eſt. Atque hanc normam tam certam, tam fidam eſſe ait, ut quidquid ipſi conſentiat, falſum eſſe omnino non poſſit, ac plane repugnet id non eſſe verum.

VIII. Hæc quibus argumentis approbet, ſi quæras, idem illud reperies, quo & Lumini naturali fidem facere conatus eſt; nempe a Deo eſſe perſpicuitatem & nitorem Ideæ adjunctum; quæ ſi fallerent, Deum fore fallacem. Cujus argumenti futilitatem toties jam convictam iterum demonſtrare ſupervacaneum eſt. Huic deinde ſubjungit iſtud, eam eſſe naturæ legem omnium animis impreſſam, ut ſponte aſſentiamur iis quæ clare percipimus, & nullo modo dubitemus quin ea vera ſint. Ita fidem facit claræ & diſtinctæ Perceptioni per Lumen naturale, incerto videlicet per incertum. Rurſus in diſſertatione de Methodo, poſtquam gradus recenſuit, per quos ad argumenti hujus, *Ego cogito, ergo ſum*; notitiam per-

VIII. *Refelluntur argumenta quibus probare conatus eſt Carteſius, claram & diſtinctam Perceptionem eſſe certum Criterium.*

pervenit, addit obſervaſſe ſe deinde non aliam ob cauſſam id verum ſibi videri, quàm quod ſibi verum clariſſime videatur; ac proinde hinc certam illam & conſtantem ac generalem conflaſſe ſe regulam, verum id eſſe quidquid dilucide & diſtincte a ſe percipitur. Nos vero inde conflare poſſumus regulam hanc alteram, longe iſta certiorem, Non temere iis eſse aſſentiendum quæ clare nobis & diſtincte videmur percipere; cum argumentum iſtud, *Ego cogito, ergo ſum*, quod vir acutus Carteſius clare & diſtincte percepiſſe ſibi viſus eſt, inane tamen & incertum eſſe probaverimus.

IX. Nunc vero quàm multa abſurda ex Criterio hoc ſequantur, perfacile eſt oſtendere. Conſtat primum ex ideis veris, alias aliis mihi videri clariores & magis diſtinctas; ac proinde ideas aliquas, etiamſi veræ ſint, aliquid habere obſcuritatis & confuſionis. Deeſt enim ipſis ea claritas ac nitor, qua claritas ac nitor ipſarum a claritate & nitore aliarum idearum ſuperatur. Ubi autem deeſt claritas ac nitor, illic ineſſe obſcuritatem & confuſionem neceſse eſt. Conſtat quoque ex ideis falſis eſſe aliquas, quæ nonnihil habeant perſpicuitatis & nitoris. Conſtat denique ex ideis nonnullis, quæ æquali claritate & nitore quibuſdam hominibus præditæ videntur, eſſe aliquas quæ non æqualiter a cæteris hominibus percipiantur, ſed alias ab aliis clarius & diſtinctius: quemadmodum alius alio clarius videt: quæ Carteſii (1) com-

IX. *Argumentis oppugnatur hoc Criterium. Primum argumentum.*

(1) *Carteſius Princip. Part. 1. §. 45. & 50.*

comparatio eſt. Neque hoc ipſe inficiabitur Cartesius, cum doceat ne Axiomata quidem, quæ Communes notiones appellantur, æque ab omnibus percipi. Quoniam igitur claritas ac nitor cum falsitate; obſcuritas contra & confusio cum veritate reperiri poſsunt, ſequitur claritatem ac nitorem eſse non poſse normam veritatis. Quod si dicas, non omnem claritatem ac nitorem, ſed nitorem, eum qui sit illuſtris & ſplendidus, eſse veritatis normam, quæro quemnam claritatis ac nitoris gradum obtinere debeat idea, ut aſsensione digna haberi poſsit. Nam si ſummum gradum dicas, multæ ideæ veræ habebuntur pro veris; nempe eæ in quibus aliquid ineſse diximus obſcuritatis & nitoris. Deinde cum nihil adeo verum sit, ut ab omnibus verum habeatur, nulla idea eſt adeo clara & diſtincta, ut non in ea obſcuritatis quippiam & confusionis aliquibus ineſse videatur: quapropter nulla idea ſummum habebit perſpicuitatis & nitoris gradum, unde nec ulli aſsenſus erit adjungendus. Quod si in idea ineſse non poteſt tantum perſpicuitatis ac nitoris, quin aliquid an id adjici poſsit; tantum certe decedere non poteſt dubitationis, quin ejus ſupersit pars aliqua: prout enim creſcunt perſpicuitas ac nitor, ita decreſcit dubitatio ac viciſsim creſcit dubitatio pro modo obſcuritatis. Quamdiu autem ſupererit vel tantillum dubitationis, tamdiu in incerto erit veritas illa, tam certo nobis tamque affirmatè oſtentata & promiſsa.

X. Præterea ſi idearum perſpicuitas ac nitor certa veritatis norma eſt, quodcunque

X. *Secundum argumentum.*

que verum viſum eſt Carteſio id, clare & diſtincte ab eo perceptum eſſe debuit. Quædam autem pro veris habuit, quæ non ſatis à ſe percepta eſſe confeſſus eſt, velut particularum materiæ diviſionem; nonnulla, quæ pro falſis ab eo ſubinde agnita ſunt; non pauca, quæ ab ejus gregalibus in perſpicua item & diſtincta Perceptione Criterium ponentibus; plura etiam quæ ab aliis reprehenſa & convicta ſunt. Carteſiani quoque diffident inter ſe, & eadem utentes veritatis norma contrarias & pugnantes ſententias tuentur. Vel igitur aliqua clare & diſtincte percipiunt, quæ falſa ſunt; unde ſequitur claram & diſtinctam Perceptionem non eſſe certum veritatis Criterium; vel normam hanc ad omnes opiniones ſuas explorandas non adhibent, nec eam proinde habeat pro certo & neceſſario Criterio; quare nec eorum doctrina admittenda eſt, ut pote ad certam aliquam normam veritatis accurate non exacta: imo vero, nec ſatis ſcimus, an hæc ipſa eorum de Criterio ſententia clare & diſtincte ab iis percepta ſit.

XI. Traditum quoque eſt a Carteſio in Meditationibus, in quibus totius Philoſophiæ ſuæ arcem conſtituit, ſe ita eſſe factum à natura, ut quamdiu clare ac diſtincte aliquid percipit eſſe verum, non poſſit non credere id eſſe verum; & contingere tamen [illegible], poſſe ſe credere ita [illegible] a natura eſſe factum; ut interdum in [illegible] clare & diſtincte perciperet. [illegible] hæc inter ſe [illegible], ut non poſ- [illegible] clare & diſtincte [illegible] credere ſe ita na-

natura eſſe factum, ut interdum in iis fallatur quæ clare ac diſtincte percipit; id enim ſi credit, cauſſam habebit cur de iis dubitet quæ clare & diſtincte percipit. Quod ſi de iis dubitet, deſinet utique iis aſſentiri. Sin deſinere poteſt iis aſſentiri, non ita factus eſt a natura, ut non poſſit iis non aſſentiri. Huc adde, quod ſi ita a natura, factus eſt, ut cum clare ac diſtincte percipit aliquid eſſe verum, non poſſit non credere id eſſe verum, cum initio Philoſophiæ ſuæ pro falſo habere inſtituit quidquid ſibi videbatur veriſſimum, rem ſupra naturæ ſuæ vires aggreſſus eſt: nam quod veriſſimum, ei videbatur, id clare & diſtincte percipiebat; ſi quidem clara & diſtincta Perceptio eſt norma veritatis. Quomodo autem pro falſis habere potuit, quæ non poterat non habere pro veris?

XII. Valet hic quoque allatum jam ſupra à nobis argumentum: nempe cum doceat Carteſius multoque aſſeverantius ipſius aſſeclæ, Deum efficere poſſe, ut vera ſint quæ clariſſima Perceptione nobis videntur eſſe falſa; puta, ut res eadem ſimul ſit & non ſit; ut duo duobus addita non ſint quatuor, ut totum non ſit majus ſua parte; fieri quoque poteſt; ut clara & diſtincta Perceptio non ſit norma veritatis. Minime autem habenda eſt norma veritatis, quæ poteſt non eſſe norma veritatis. Igitur clara & diſtincta Perceptio non habenda eſt norma veritatis.

XIII. Denique ſi quæram a Carteſio, unde certo ſcit bis bina eſſe quatuor, reſpondebit id ſe certo ſcire verum eſſe, quia id clare & diſtincte percipit. At quæram iterum

D

XII. *Quartum argumentum.*
XIII. *Quintum argumentum.*

Analyſi & Syntheſi, quæ viæ ſunt veritatis cognoſcendæ. Quæritur enim, an non ratiocinationis circulum admiſerit Carteſius, cum inveſtigaret normam veritatis: quod ab eo peccatum eſſe pertendimus; ſive Analyſin adhibuerit, ſive, ut volunt, Syntheſin. In quo ſane nulla eſt Analyſeos & Syntheſeos cum norma veritatis confuſio.

III. Nunc exploratis viis, quibus ad Criterium ire inſtituit, ſi inveſtigemus ejus ſententiam ſuper ipſo Criterio, ex cujus cognitione pendet omnis Philoſophia, rem itidem inconſtanter ab eo diſputatam reperiemus, obſcure etiam & confuſe; non ea firmitate & accuratione, quam rei dignitas poſtulabat. Poſtquam enim in tradendis Philoſophiæ principiis demonſtraſſe (1) ſibi viſus eſt, nos ita non eſſe comparatos, ut ſemper fallamur; inde colligit certum eſſe, numquam nos falſum pro vero admiſſuros, ſi iis tantum aſſentiemur, quæ clare & diſtincte percipiemus: tum deinde in reliquo opere, aliiſque ſcriptionibus, claram illam & diſtinctam perceptionem adhibet, velut certiſſimam ac unicam veritatis normam: ex qua etiam Dei potentiam exiſtimat. Attamen antequam ex Dei notitia normam hanc conflaviſſet, multa admittenda eſſe cenſuerat; idcirco quod lumine naturali, & perſpicue, & per ſe nota eſſent. En alia igitur Carteſii Criteria. Lumen naturale, Perſpicuitas, & Notitia rei ex ipſa re hauſta. Sed & aliis præterea ac diverſis pro tempore utitur Criteriis, quæ nunc prætereo.

IV. Hinc

III. *Et in eo quoque aſſignando.*
(1) *Carteſius Princip. Par. I. §. 43.*

IV. Hinc manifeſtum eſt cenſuiſſe Carteſium Perceptionem hanc claram & diſtinctam, aliud quid eſſe ac Lumen naturale: nam ex hoc Lumine naturali multa colligit, antequam decreverit & probaverit pro veris ea eſſe habenda, quæ clare & diſtincte percipimus. Sed & ea aperte diſtinguit, cum docet Lumen naturale rem nullam attingere quæ non ſit vera, quatenus ab hoc Lumine attingitur; hoc eſt, quatenus clare ac diſtincte percipitur. Ex quibus efficitur, Lumen naturale id eſſe quod rem objectam attingit; Perceptionem vero claram & diſtinctam eſse actionem, qua res a Lumine naturali attingitur. Quaſi Lumen naturale ſit Criterium per quod; clara vero & diſtincta Perceptio, Criterium ſecundum quod. At Carteſii aſseclæ quidam, ſive Dictatoris ſui mentem non viderint, ſive viſam non probarint, & deſerere auſi ſint, Lumen naturale a clara & diſtincta Perceptione non diſtinxerunt. Perſpicuitatem autem proponere videtur tanquam generale quippiam, quod in rebus omnibus quas cognoſcimus ineſſe debeat, ut pro veris haberi mereantur; ſive per Lumen naturale cognoſcantur a nobis, ſive per claram & diſtinctam Perceptionem, ſive per ratiocinationem, ſive per ſenſus, ſive alio quocunque modo. Notitia vero rerum à rebus ipsis hauſta, quàm pro regula veritatis habet Carteſius, eſt ipſa hæc Perſpicuitas, rebus iis tantum inhærens, quas Lumine naturali cognoſcimus, quatenus

IV. *Diſtinguit claram & diſtinctam Perceptionem à Lumine naturali, & à Perſpicuitate generaliter ſumpta, & a Notitia rei ex re ipſa hauſta. Carteſius Princip. Part. 1. §. 30.*

nus eas cognoſcimus. Sic Carteſii mentem commode interpretari nos poſse putamus, in re obſcura, nec ſatis explicata conjecturis & ſuſpicionibus utentes. Attentio vero, quàm adeo neceſsariam eſse ad percipiendum verum totis libris prædicant Carteſiani, eſt affectio animi, rem illàm unam quam cognoſcere vult, ſepoſitis cæteris, acriter intuentis.

V. Nunc iſta ſigillatim expendamus. Lumen naturale definit Carteſius, *Facultatem cognoſcendi à Deo nobis datam*: unde ſequitur, ea nobis eſse cognita Lumine naturali, quæcunque cognoſcimus per facultatem cognoſcendi a Deo nobis datam. Quidquid autem cognoſcimus, id cognoſcimus per facultatem cognoſcendi a Deo nobis datam. Quidquid igitur cognoſcimus, id cognoſcimus Lumine naturali. Quod valde abſurdum eſt. Deinde qua nota diſtinguam Lumen illud naturale, a lumine non naturali? ſive Lumen directum naturæ, a lumine obliquo vel reflexo artis? aut Lumen illud purum naturæ, a lumine impuro erroris? An quod primo mentis intuitu omnes homines vident & fatentur eſſe verum, id Lumine naturali cognitum eſse dicent? Qui ſciam vero primo mentis intuitu id videre homines? qui ſciam id videre & fateri omnes homines? an aliquid tanto conſenſu ab hominibus receptum eſt ad hanc diem, ut a nullo repudiatum ſit? quid homini notius eſt quàm ſe eſse? quàm ſe eſse hominem? at dubitabat Democritus an eſſet; dubitabat Socrates an eſset homo: quid exploratius eſt, quàm totum eſse ma-

jus

V. *Lumen naturale Carteſii non eſt certum Criterium*: *Cart. Princip. Part.* 1. §. 30.

jus ſua parte, quàm reliqua principia Geometrarum? at ea tamen multi revocarunt in dubium; & Carteſius (1) ipſe pro falſis habere ea nos juſſit. Demus tamen facile diſcerni ab omni alia cognitione cognitionem per Lumen naturæ hauſtam; quonam argumento ſcire poſſum vera eſſe quæ Lumine naturali cogniſcimus? Deus, inquit, eſſet deceptor. At pergit hebeti hoc telo pugnare, quod jam toties retulimus. Denique cum ſcitum ſit Carteſii, Deum efficere poſſe, ut bis bina non ſint quatuor, ſi fingamus Deum id eſficiſſe quod poteſt efficere, fallax erit Lumen naturale quo cognoſco bis bina eſſe quatuor. Certum igitur Criterium hoc eſſe non poteſt, quod poteſt eſſe falſum.

VI. Fide detracta Lumini huic naturali, fide quoque caret clara & diſtincta Perceptio: nam Perceptioni huic fidem conciliat Carteſius ex multis pronuntiatis, quæ Lumine naturali nota eſſe vult; imo ex Lumine ipſo naturali. Ait enim (2) *omnium animis a natura impreſſum eſſe, ut quoties aliquid clare percipimus, ei ſponte aſſentiamur, & nullomodo poſſimus dubitare quin ſit verum*. Cum igitur fallere nos poſſit Lumen naturale, fallere utique nos poteſt clara & diſtincta Perceptio. Sed propius tamen inſpiciamus iſtud Criterium.

VII. Item nos clare & diſtincte tum percipere vult Carteſius, cum claram ejus & diſtinctam ideam in animo habemus. Ideæ no-

(1) *Carteſius Princip. Part.* 1. §. 5. & 13.

VI. *Neque clara ejus & diſtincta Perceptio*.

(2) *Carteſius Princip. Part.* 1. §. 43. 44. *De Meth.* §. 4.

VII. *Quid ſit Idea juxta Carteſium*.

nomen etſi ſæpiſſime uſurpat, quid eo tamen ſignificetur, licet a multis rogatus, nunquam aperte explicavit: ut non ſatis claram & diſtinctam ideæ ideam viſus ſit habuiſſe. Ideas Stoici appellabant ἐννόηματα, ſive mentis noſtræ perceptiones. Platonicorum ideas nunc quidem prætermitto. At vulgus Philoſophorum primam tantum mentis perceptionem, quæ *Apprehenſio* dicitur in Scholis, Ideæ nomine afficit. Hanc ſignificationem nonnumquam retinet Carteſius, & ideam vult eſſe actionem mentis, qua ad rerum imagines ſe applicat, ſive modum quemdam cogitandi; nonnunquam vero Ideam ait eſſe imaginem rei ipſius, non in phantaſia, ſed in animo ſignatam, atque huic proprie nomen Ideæ convenire. Ideas autem illas, ſive imagines rerum, trifariam partitur; ut aliæ ſint adventitiæ, qualis eſt Idea Solis, quæ Sole conſpecto in mentem admiſſa eſt; aliæ factitiæ, qualis eſt Idea Sirenis. Centauri, Chimæræ, aliæ innatæ, ſive naturales, qualis eſt Idea Dei, mentis, cogitationis, veritatis, trianguli, numeri, aliarumque rerum huiuſmodi. At alibi non imagines ſolum rerum ſingularum, ſed comparationem quoque imaginum illarum, quæ ſecunda mentis operatio eſt, & Judicium vulgo nominatur, Ideam vocat. Nonnunquam etiam idem ait ſe vocabulum tribuere iis omnibus quæ in mente habere poſſumus; ac proinde & ratiocinationi, quæ tertia mentis actio eſt. Ideam autem claram vocat, quæ menti attentæ præſens eſt & aperta: ut ea clare videre nos dicimus, quæ præſto ſunt oculo recta intuenti, eumque valide & aperte movent; diſtinctam vero, quæ ab omni alia re ita ſejuncta eſt, ut nihil in ſe contineat aliud, quàm quod clare in ea percipitur.

cipitur. Cum igitur Idearum nomine ſignificari velit Carteſius, non imagines ſolum rerum menti impreſſas, imaginumve illarum perceptionem, qua conſtat prima mentis operatio; ſed comparationem quoque imaginum illarum, qua conſtat ſecunda; atque etiam collationem comparationum illarum, ſive ratiocinationem, qua tertia; eo tandem redit ejus ſententia, ut normam veritatis eſſe velit quamcunque operationem mentis, atque imagines etiam rerum menti impreſſas; modo iis adjuncta ſit perſpicuitas, ſejunctæ vero ſint ideæ aliarum rerum omnium ab idea rei quæ in mente eſt. Atque hanc normam tam certam, tam fidam eſſe ait, ut quidquid ipſi conſentiat, falſum eſſe omnino non poſſit, ac plane repugnet id non eſſe verum.

VIII. Hæc quibus argumentis approbet, ſi quæras, idem illud reperies, quo & Lumini naturali fidem facere conatus eſt; nempe a Deo eſſe perſpicuitatem & nitorem Ideæ adjunctum; quæ ſi fallerent, Deum fore fallacem. Cujus argumenti futilitatem toties jam convictam iterum demonſtrare ſupervacaneum eſt. Huic deinde ſubjungit iſtud, eam eſſe naturæ legem omnium animis impreſſam, ut ſponte aſſentiamur iis quæ clare percipimus, & nullo modo dubitemus quin ea vera ſint. Ita fidem facit claræ & diſtinctæ Perceptioni per Lumen naturale, incerto videlicet per incertum. Rurſus in diſſertatione de Methodo, poſtquam gradus recenſuit, per quos ad argumenti hujus, *Ego cogito, ergo ſum*; notitiam per-

VIII. *Refelluntur argumenta quibus probare conatus eſt Carteſius, claram & diſtinctam Perceptionem eſſe certum Criterium.*

pervenit, addit obſervaſſe ſe deinde non aliam ob cauſſam id verum ſibi videri, quàm quod ſibi verum clariſſime videatur; ac proinde hinc certam illam & conſtantem ac generalem conflaſſe ſe regulam, verum id eſſe quidquid dilucide & diſtincte a ſe percipitur. Nos vero inde conflare poſſumus regulam hanc alteram, longe iſta certiorem, Non temere iis eſse aſſentiendum quæ clare nobis & diſtincte videmur percipere; cum argumentum iſtud, *Ego cogito*, *ergo ſum*, quod vir acutus Carteſius clare & diſtincte percepiſſe ſibi viſus eſt, inane tamen & incertum eſſe probaverimus.

IX. Nunc vero quàm multa abſurda ex Criterio hoc ſequantur, perfacile eſt oſtendere. Conſtat primum ex ideis veris, alias aliis mihi videri clariores & magis diſtinctas; ac proinde ideas aliquas, etiamſi veræ ſint, aliquid habere obſcuritatis & confuſionis. Deeſt enim ipſis ea claritas ac nitor, qua claritas ac nitor ipſarum a claritate & nitore aliarum idearum ſuperatur. Ubi autem deeſt claritas ac nitor, illic ineſſe obſcuritatem & confuſionem neceſse eſt. Conſtat quoque ex ideis falſis eſſe aliquas, quæ nonnihil habeant perſpicuitatis & nitoris. Conſtat denique ex ideis nonnullis, quæ æqualia claritate & nitore quibuſdam hominibus præditæ videntur, eſſe aliquas quæ non æqualiter a cæteris hominibus percipiantur, ſed alias ab aliis clarius & diſtinctius: quemadmodum alius alio clarius videt; quæ Carteſii (1) com-

IX. *Argumentis oppugnatur hoc Criterium. Primum argumentum.*

(1) *Carteſius Princip. Part.* 1. §. 45. & 50.

comparatio eſt. Neque hoc ipſe inficiabitur Carteſius, cum doceat ne Axiomata quidem, quæ Communes notiones appellantur, æque ab omnibus percipi. Quoniam igitur claritas ac nitor cum falsitate; obſcuritas contra & confusio cum veritate reperiri poſsunt, ſequitur claritatem ac nitorem eſse non poſse normam veritatis. Quod si dicas, non omnem claritatem ac nitorem, ſed nitorem, eum qui ſit illuſtris & ſplendidus, eſse veritatis normam, quæro quemnam claritatis ac nitoris gradum obtinere debeat idea, ut aſsensione digna haberi poſsit. Nam si ſummum gradum dicas, multæ ideæ veræ habebuntur pro veris; nempe eæ in quibus aliquid ineſse diximus obſcuritatis & nitoris. Deinde cum nihil adeo verum ſit, ut ab omnibus verum habeatur, nulla idea eſt adeo clara & diſtincta, ut non in ea obſcuritatis quippiam & confuſionis aliquibus ineſse videatur: quapropter nulla idea ſummum habebit perſpicuitatis & nitoris gradum, unde nec ulli aſſenſus erit adjungendus. Quod si in idea ineſse non poteſt tantum perſpicuitatis ac nitoris, quin aliquid an id adjici poſsit; tantum certe decedere non poteſt dubitationis, quin ejus ſupersit pars aliqua: prout enim creſcunt perſpicuitas ac nitor, ita decreſcit dubitatio ac viciſsim creſcit dubitatio pro modo obſcuritatis. Quamdiu autem ſupererit vel tantillum dubitationis, tamdiu in incerto erit veritas illa, tam certo nobis tamque affirmatè oſtentata & promiſsa.

X. Præterea ſi idearum perſpicuitas ac nitor certa veritatis norma eſt, quodcunque

X. *Secundum argumentum.*

que verum viſum eſt Carteſio id, clare & diſtincte ab eo perceptum eſſe debuit. Quædam autem pro veris habuit, quæ non ſatis à ſe percepta eſſe confeſſus eſt, velut particularum materiæ diviſionem; nonnulla, quæ pro falſis ab eo ſubinde agnita ſunt; non pauca, quæ ab ejus gregalibus in perſpicua item & diſtincta Perceptione Criterium ponentibus; plura etiam quæ ab aliis reprehenſa & convicta ſunt. Carteſiani quoque diſſident inter ſe, & eadem utentes veritatis norma contrarias & pugnantes ſententias tuentur. Vel igitur aliqua clare & diſtincte percipiunt, quæ falſa ſunt; unde ſequitur claram & diſtinctam Perceptionem non eſſe certum veritatis Criterium; vel normam hanc ad omnes opiniones ſuas explorandas non adhibent, nec eam proinde habent pro certo & neceſſario Criterio; quare nec eorum doctrina admittenda eſt, ut pote ad certam aliquam normam veritatis accurate non exacta: imo vero, nec ſatis ſcimus, an hæc ipſa eorum de Criterio ſententia clare & diſtincte ab iis percepta ſit.

XI. Traditum quoque eſt a Carteſio in Meditationibus, in quibus totius Philoſophiæ ſuæ arcem conſtituit, ſe ita eſſe factum à natura, ut quamdiu clare ac diſtincte aliquid percipit eſſe verum, non poſſit non credere id eſſe verum; & continuo tamen ſubjicit, poſſe ſe credere ita ſe a natura eſſe factum; ut interdum in iis fallatur, quæ clare & diſtincte percipit. At manifeſto pugnant hæc inter ſe. Nam ſi ita eſt factus à natura, ut non poſſit non aſſentiri iis quæ clare & diſtincte percipit; quomodo poteſt credere ſe ita a na-

XI. *Tertium argumentum.*

natura eſſe factum, ut interdum in iis fallatur quæ clare ac diſtincte percipit; id enim ſi credit, cauſſam habebit cur de iis dubitet quæ clare & diſtincte percipit. Quod ſi de iis dubitet, deſinet utique iis aſſentiri. Sin deſinere poteſt iis aſſentiri, non ita factus eſt a natura, ut non poſſit iis non aſſentiri. Huc adde, quod ſi ita a natura, factus eſt, ut cum clare ac diſtincte percipit aliquid eſſe verum, non poſſit non credere id eſſe verum, cum initio Philoſophiæ ſuæ pro falſo habere inſtituit quidquid ſibi videbatur veriſſimum, rem ſupra naturæ ſuæ vires aggreſſus eſt: nam quod veriſſimum, ei videbatur, id clare & diſtincte percipiebat; ſi quidem clara & diſtincta Perceptio eſt norma veritatis. Quomodo autem pro falſis habere potuit, quæ non poterat non habere pro veris?

XII. Valet hic quoque allatum jam ſupra à nobis argumentum: nempe cum doceat Carteſius multoque aſſeverantius ipſius aſſeclæ, Deum efficere poſſe, ut vera ſint quæ clariſſima Perceptione nobis videntur eſſe falſa; puta, ut res eadem ſimul ſit & non ſit; ut duo duobus addita non ſint quatuor, ut totum non ſit majus ſua parte; fieri quoque poteſt; ut clara & diſtincta Perceptio non ſit norma veritatis. Minime autem habenda eſt norma veritatis; quæ poteſt non eſſe norma veritatis. Igitur clara & diſtincta Perceptio non habenda eſt norma veritatis.

XIII. Denique ſi quæram a Carteſio, unde certo ſcit bis bina eſſe quatuor, reſpondebit id ſe certo ſcire verum eſſe, quia id clare & diſtincte percipit. At quæram ite-

XII. *Quartum argumentum.*
XIII. *Quintum argumentum.*

rum, unde certo ſcit, verum id eſſe, quod clare & diſtincte percipit: reſpondeat neceſse eſt, certo ſe ſcire verum id eſſe quod clare & diſtincte percipit, quia id clare & diſtincte percipit. Inſtabo rurſum; & quæram unde certo ſcit, verum eſſe quod clare & diſtincte percipit, propterea quod clare & diſtincte percipit id eſſe verum quod clare & diſtincte percipit: non aliud utique reſpondere poterit, quam quod id ipſum clare & diſtincte percipit. Igitur vel clara & diſtincta Perceptio fidem habebit a ſe ipſa; atque ita admittetur circulus: vel clara & diſtincta Perceptio egebit alia clara & diſtincta Perceptione a qua fidem habeat; atque ita fiet progreſſus in infinitum.

XIV. Quod ſi neque Lumen naturale, neque clara & diſtincta Perceptio, certa ſunt veritatis Criteria, hoc ipſo fidem amittit generalis illa Carteſii Perſpicuitas, quam comitem ad unctam eſſe vult omnibus iis quæ quovis modo cognoſcimus, ut pro veris habeantur. Nam ſi ſenſus, & mens, & mentis operationes, & claræ ac diſtinctæ ideæ perceptioneſque rerum, & Lumen naturale, fallacia ſunt ad veritatem cognoſcendam inſtrumenta, quantamlibet eis Perſpicuitatem adjunxeris, haudquaquam certa fient. Ut ſi caducum parietem dealbaveris, haudquaquam effeceris firmiorem. Notitia vera rerum à rebus ipſis hauſta, cum ſpecies quædam ſit Perſpicuitatis, nihilo Perſpicuitate ipſa certior haberi poteſt. Præſertim cum & Notitiam hujuſmodi a rebus ipſis hauſtam, & Perſpicuitatem, velut parum certa veritatis indicia, removen-

XIV. *Neque Perſpicuitas, neque Notitia rerum à rebus ipſis hauſta, ſunt certa Criteria.*

venda eſse nos Carteſius in ipſo Philoſophiæ veſtibulo monuerit.

XV. Jam ſi veritatis cognoſcendæ artem & rationem ac præcepta à Carteſio in Diſſertatione de Methodo tradita perſequamur, lubrica quoque apparebunt & incerta; quamvis ea jactet *Artimeticæ certitudine non cedere.* Primum enim hoc eſt, Nihil eſse pro vero admittendum, niſi quod certo & evidenter verum eſse cognoſcitur. In quo manifeſta eſt petitio principii; perinde enim illud eſt, ut ſi dicat, ad verum certo cognoſcendum, verum eſse certo cognoſcendum. Deinde, qui tandem certus eſse potero me aliquid diſtinctæ percepiſse? nec enim difficultate id carere fatetur ipſe Carteſius. Præterea, unde ſcit id eſse verum, quod certo & evidenter ei videtur eſse verum? multa enim doctrinæ ejus capita, quæ certo & evidenter ipſi videntur eſse vera, mihi certo & evidenter videntur eſse falſa. Utra tandem ex his perceptionibus certum erit veritatis Criterium? Secundo præcepto propoſitam quæſtionem jubet in tot partes dividi, quot poſtulat quæſita rei inveſtigatio: in quo petitur iterum principium. Nam ut ſcias quamnam diviſionem poſtulet res quæſita, rem quæſitam debes cognoſcere. Igitur ad cognoſcendam rem quæſitam, diviſio partium inſtituenda eſt: ad inſtituendam autem partium diviſionem, res quæſita cognoſcenda eſt. Nec utilius eſt præceptum tertium, quo à ſimpliciſsimis rebus ad compoſitas mentem progredi jubet, & a facilioribus ad difficiliores velut per gradus aſcendere. Nulla enim res eſt adeo ſimplex,

XV. *Refelluntur præcepta veri cognoſcendi à Carteſio tradita.*

cujus cognitio ex infinitis rebus non pendeat; nulla cognitu adeo facilis, quàm noſcere te certo ſcire poſsis; nulla in qua cognoſcenda non ſumma ſit ſemper & ineluctabilis difficultas. Quarta lex ſingulas quæſtionis partes tam attente perluſtrandas eſse definit, ut certi ſimus nihil eſse prætermiſſum. Atqui ut certus ſim in diviſione & perluſtratione partium nihil eſſe à me prætermiſſum, totum debeo cognoſcere: rurſum ut totum cognoſcam, partes mihi cognoſcendæ ſunt. Atque ita recidimus in modum διάλληλον, qui ad veritatis cognitionem inutilis eſt & ineptus. Nec infitiari tamen velim, in his regulis ineſſe aliquid utilitatis & commodi ad communem ſtudiorum & vitæ uſum. Nam quis eas in vulgarium diſciplinarum tractatione, quis in reconditioribus doctrinis, velut in Geometrica & Arithmetica non adhibet? quis in quotidiana vitæ conſuetudine, ſi modo vecors plane non ſit & hebes, rem ignotam pro vera habet? quis pedaneus judex quæſtionis perplexæ & intricatæ nodos omnes, non Sigillatim, ſed ſimul & una opera tentet diſſolvere? quis magiſter de trivio diſcipulum docet verba tota legere, antequam facili ſimplicium literarum cognitione eum imbuerit? quis eum puerili hac doctrina informans, parte tantum elementorum cognita, voces integras recte lecturum ſpondeat? Pervagata hæc eſt & tunicatæ plebis ſolo trita via. At ea iri ad certam veri notitiam, illud vero pernegamus.

XVI. Nec prætermittendus ille Carteſii & Gar-

XVI. *Inanis eſt, quàm ad percipiendum verum adhiberi volunt Carteſiani, Attentio.*

& Carteſianorum mos eſt, cum ad conciliandam dogmatis ſuis fidem, mentem jubent, non anteceptis ſolum exui opinionibus, ſed a ſenſuum etiam abduci conſortio, totamque ſilentibus plane affectionibus (juxta uſitatam ipſis loquendi formulam) in paradoxa ſua defigi. Id ſi fiat, futurum aſſeverant, uti ideas noſtras clare & diſtincte intueamur, ac veritatem certiſſime percipiamus; nec à ſe diſſenſurum quempiam, niſi qui componere neſciat animum, & attentione careat. Atque id tanti apud eos eſt, tanti apud non eſſe volunt, ut unico hoc argumento ſæpe defendant opiniones ſuas, & adverſarios confutent: adeo ut Attentionem, velut certum Criterii Criterium obtrudant. Perſpicuam quippe & diſtinctam Perceptionem, certam eſſe ajunt veritatis normam; certam vero claræ hujus & diſtinctæ Perceptionis normam eſſe Attentionem: quiſquis enim fuerit attentus, res clare & diſtincte percepturum; quiſquis vero res clare & diſtincte perceperit, fore compotem veritatis. Nempe hactenus arcanum illud orbis Philoſophicus ignoraverat; ut res animo percipiatur, animum ad eam eſſe attendendum. Nempe nos ideo veritas hactenus fugerat, quod cum eam anquireremus, animo vago & omiſſo alias re ageremus. Quoad extitit tandem Carteſius, qui nos de revocando animo & intendendo commoneret. Facimus vero, ac libenter, & Philoſophiam ejus acri & attento animo exploramus. Atque hujus diligentiæ is demum nobis fructus conſtat, quod eam explodendam judicamus; ipſos vero Carteſianos ad Attentionem, quam prædicant, excitandos; futurum quippe, ut ſi ſtudio noſtro par ſtudium & curam adhibeant in philoſophando, doctrinæ ſuæ labes conti-

ſuo perſpiciant; aliudque eſſe intelligant, viſa inania ſibi fingere, & peregrinantis animi erroribus obſequi, aliud mentem attendere; & Philoſophum denique vel maxime id decere (1), *Non plus ſapere, quàm oportet, ſed ſapere ad ſobrietatem*, & animo extra metas rationis expatianti moderari, ne forte nimia Attentio in ſomnia erumpat & deliria.

XVII. Ac mirabile profecto eſt, extitiſſe Philoſophum, qui ad vitandos errores, & attingendam, veritatem tam hæſitans fuerit, tam circumſpectans, tamque dubitans in exorſu; tam confidens, tamque audax in progreſſu: ut qui palam addubitaverat, quid eſſet, an omnino eſſet, & pro falſo habere nos voluerat duo tribus addita efficere quinque; mox idem à communi hominum opinione abhorrentes ſententias pro imperio, & nullo argumento allato admitti jubeat; tantæque ſit levitatis & inconſtantiæ, ut qui principiis Mathematicis detraxerat fidem, ſtatim probabilitati veritatem ineſſe pronuntiet. Sic enim ab eo traditum eſt, pluribus argumentis probabilibus vim ineſſe certiſsimi argumenti. Quod pronuntiatum, etſi in uſum vitæ admittendum eſt, omnino tamen eſt à Philoſophia rejiciendum, tanquam errorum omnium fons & ſeminarium. Nam ſi in omni probabilitate ineſt incerti aliquid, in multis probabilibus argumentis plurimum inerit incerti. In quocunque autem argumento incerti ineſt aliquid, certiſsimum id eſſe omnino non poteſt. Eo quoque progreſ-
ſus

(1) *Rom.* 12. 3.

XVII. *Carteſius dubitans in exorſu Philoſophiæ ſuæ, confidens in progreſſu.*

ſus eſt, ut non mentis ſolum Perceptioni claræ & diſtinctæ, ſed recordationi etiam Perceptionis hujus fidem ſine cunctatione adjungendam ſciſceret; ſolenni hoc tantum argumento & jam confutato ductus, Deum, ſi res ſecus eſſet, fore deceptorem. Nam quid memoria fallacius? quàm ſæpe promiſſam decoquit fidem? quàm multa clare & diſtincte percipere nobis viſi ſumus in pueritia, quæ poſtquam adoleſcentes facti ſumus, recordabamur à nobis pueris clare & diſtincte fuiſſe percepta, quæque ſubinde falſa eſſe cognovimus? Denique eidem obſecutus argumento audet aſſeverare, quæcunque in ſomnis menti noſtræ clara eſſe videntur, ea omnino eſſe vera. At brumali nocte ſecundum quietem mihi clare videbar in horto roſas decerpere: in horto itaque nocte brumali roſas decerpſi. Nec mirum ſane qui objectis ſibi dormienti ſomniis tribuit fidem, eumdem ſomniis à ſe experrecto & vigilante confictis fidem à nobis tribui velle. Atque hæc quamquam ita ſint, tantam tamen opinionum ſuarum fiduciam ſumſit Carteſius, ut nihil à ſe pro vero admiſſum jactet, quod non certius & clarius ſit Epicherematis Geometrarum; ſuas opiniones adeo evidentes eſſe ac certas, ut omnes diſputandi cauſſas deinceps ſint ſublaturæ, ſi modo recte intelligantur, & res denique naturales non alias habere poſſe ortus ſui cauſſas, quàm quæ à ſe propoſitæ ſint. Quanquam poſtremum hoc nonniſi titubanter; admonita ſcilicet morſu veritatis conſcientia, aſſeverare auſus eſt.

XVIII. Atque hæc demum Carteſii confiden-

XVIII. *Quam ejus confidentiam Carteſiani ſuperarunt.*

fidentia in tam effrænem tamque præcipitem temeritatem Carteſianos impulit, ut ex hoc grege grandiloqui nonnulli ſcribere non erubuerint, quidquid cognoſcunt, veriſſimum id eſſe; & quidquid habent in mente, id omne extare extra mentem: quod & Carteſio ipſi alicubi excidit. Id autem eſt hujuſmodi, ut jam neſciam quid ſit deſipere, ſi hoc deſipere non eſt. Et præclare, ſane nobiſcum ageretur; ſi intra inſaniam & deliria ſe continuiſſent: verum non Rationis ſolum, ſed Fidei quoque leges ſæpiſſime ab iis eſſe violatas deinceps oſtendemus.

CAPUT TERTIUM.

Expenditur Carteſii ſententia de mente humana.

I. *Certiſſima dogmata de mente humana, deque Dei* exiſtentia, *incertis rationibus confirmare conatus eſt Carteſius*: II. *Etſi ob veritatis aſſerendæ ſtudium laudandus eſt.* III. *Exponitur Carteſii ſententia de mente humana*: IV. *Quæ & refellitur.* V. *Etiamſi diverſæ haberi poſſint ideæ rei cogitantis, & rei corporeæ, non hinc tamen efficitur res eſſe diverſas.* VI. *Falſum eſt, prius, certius, & clarius cognoſci mentem quàm corpus.* VII. *Falſum eſt, totam hominis naturam in eo poſitam eſſe, quod cogitat.* VIII. *Falſum eſt, animum ſentire res externas, non corpus.* IX. *Falſum eſt, eſſe aliquid in intellectu, quod non fuerit in ſenſu.* X. *Falſum eſt, in Conario præcipuam eſſe ſedem animi.*

Etſi

I. ETſi ſufficere hæc poterant ad convellendam Carteſianam Philoſophiam, proptereaque fuſius a me tractata ſunt, dignum tamen eſt connexa quoque his capitibus membra perluſtrare, ut omnibus appareat ſimili vitio totum doctrinæ hujus corpus laborare. Id autem fiet à me; non continuata per omnes partes inquiſitione & ſtudio; ſed ſtrictim & leviter per quæſtiones quaſdam, quæ factionis hujus plauſum imprimis meritæ ſunt. Primæ ordine, & dignitate præcipuæ occurrunt eæ, quæ ſunt de mente humana, & de Deo, Deique, ut vocant, *exiſtentia*. In quibus adeo ſibi placuit Carteſius, ut quæ ſuper his à ſe excogitata ſunt, certiſſimas eſſe demonſtrationes, ac Geometricis ipſis certiores, glorioſe ac magnifice non ſemel prædicaverit; ſummiſſe verò ac reverenter ab ejus ſectatoribus, ſic tanquam Pythiæ reſponſa, excepta ſint. Quibus tamen nihil eſſe futilius, nihil incertius candidis Lectoribus approbaturum me confido. Adeo ut ſi exploratiſsima non eſſet, uti ſane eſt, dogmatum illorum notitia, merito verendum eſſet, ne apud incautos homines, vanis adeo probationibus à tanto viro allatis deterritos, in dubium vocaretur; quod & aliis argumentis longe certioribus, & ſanctiſsimæ Fidei decretis, verum eſſe ſcimus.

II. Nihilominus tamen, etſi eum ſua opinio palam fruſtrata eſt, magna ei eſt tribuenda laus, ob ſtudioſe navatam in

D 5 cer-

I. *Certiſſima dogmata de mente humana deque Dei exiſtentia incertis rationibus confirmare conatus eſt Carteſius.*

II. *Etſi ob veritatis aſſerendæ ſtudium laudandum eſt.*

certiſsimis, alioqui dogmatis aſſerendis & comprobandis operam, & ob accommodatas utcunque in his argumentis, utinam æque in cæteris, ad Religionis Chriſtianæ veritatem Philoſophiæ ſuæ rationes. Hæ cujuſmodi ſint inquiramus; ac illæ primum quæ ad mentem pertinent humanam.

III. Poſtquam hanc argumentationem commentus eſt Carteſius, *Ego cogito, Ergo ſum*, Archimedis punctum reperiſſe ſibi viſus eſt, unde terram loco dimovere poſſet. Hinc enim agniturum ſe ſperavit, & quæ eſſet natura mentis humanæ, & quid à corpore differat. Nam cum finxiſset primum falſa eſſe, quæcunque antea habuiſset pro certis; & poſtmodum animadvertiſset ſe cogitare, ac proinde ſe eſse, ulterius Philoſophando progreſsus eſt; & jam ſciens ſe eſse, ſcire præterea voluit, quid eſset. Quod cum quæreret, perſtitit in propoſito omnia habendi pro falſis. Perrexit itaque fingere nullum eſse corpus, vel ſuum, vel alienum; nec ullum corporis motum, aut ſitum, aut figuram, aut reliqua ad corpus pertinentia; neque ullum omnino eſse mundum, aut aliud quippiam. Quæ cum fingeret, deprehendit ſe, etiamſi cætera non eſsent, non poſſe tamen non eſſe; quippe qui hæc fingendo cogitaret, ac cogitando plane eſset: contra vero, cum fingeret vera eſse omnia hæc quæ mox falſa eſse finxerat, corpus nempe ſuum, totamque adeo rerum univerſitatem, ſi tamen cogitare deſineret, cauſsam nullam eſse, cur cæteris illis extantibus, ſe extare crederet. Atque his animadverſis, collegit demum ſe, hoc eſt mentem ſuam, mentiſque ſuæ natu-

III. *Exponitur Carteſii ſententia de mente humana.*

naturam, à rebus corporeis & externis nullo modo pendere, nec quicquam habere cum iis cognationis; utpote quæ ſine iis eſse poſset; ac proinde ſe eſse tantum rem cogitantem, ſuamque naturam in cogitatione ſolum eſse poſitam, nulla alia re indigentem ut cogitet, non corpore, non loco, non motu, non porrectione, ſive, ut cum Carteſio loquar, *extenſione*. Hinc etiam intellexit, prius, facilius, ac certius à ſe perceptam eſse mentis ſuæ naturam, quam naturam corporis: de corpore enim nondum ſe habere explorati quicquam; mentem vero ſuam ſibi certo jam eſse perſpectam. Nec priorem ſolum & certiorem, ſed clariorem quoque eſse hanc mentis ſuæ notitiam ex eo collegit, quod cum nullæ ſint nihil qualitates, ubicunque deprehenduntur qualitates aliquæ, illic neceſse ſit inveniri ſubſtantiam; atque eam hoc clarius cognoſci, quo plures in ea qualitates percipiuntur; plures autem in animo ſuo qualitates ſe percipere, quàm in alia re qualibet; cum ex rei alterius cujuſcunque notitia habeatur notitia mentis; at etiamſi nulla res extaret alia; mentis ſuæ notitiam habere ſe poſse res, quippe cognoſci non poſse ſine mente, mentem vero ſine rebus aliis cognoſci poſse.

IV. Nunc fingite vobis coram hìc adeſſe Epicuri de grege porcum aliquem, aut alium quempiam ex veteribus iis Philoſophis, qui animos eſſe corpora, & cum corporibus interire falſo cenſuerunt. Sic ille Carteſianam argumentationem excipiet. Quæret primum, dum cogitat, quid ſit id quod cogitat; quid ſit id per quod cogi-

IV. *Quæ refellitur.*

tat; quid ſit ipſa cogitatio. Ac reperiet id quod cogitat, eſſe hominem, hominem vero eſſe corpus animatum, ſentiens, ratione utens; ubicunque eſt corpus hujuſmodi, illic hominem eſſe; ubi non eſt, illinc hominem abeſſe: quamdiu corpus illud ſponte movetur & vivit, tamdiu vivere hominem hunc; ſtatim atque vivere deſiit illud corpus, illico & hominem hunc emori. Cum autem animadvertat hominem ad omnia vitæ munia obeunda uti corpore; ſtare, ſedere, ambulare, flere, ridere, loqui; corpore nutriri; corpore ſentire; corpore vigilare, dormire, ſomniare; corpore denique imaginari; inde generatim concludit hominem ad cogitandum corpore uti, & cogitationem eſſe affectionem, vel corporis, vel per corpus editam: cum præſertim male affecto & vitiato corpore debilitari rationis uſum ſæpe expertus ſit; vigere contra, ſano ac valente corpore. Nec jam quæritur, quodnam ſit principium effectionum illarum, an vis aliqua interna, diſtincta à corpore, an temperatio corporis ipſius, ex æquabili partium quibus conſtat convenientia & conſenſu efflorеſcens. Effectiones nunc corporis perſequimur, non cauſſas effectionum. Contra vero inſurgit Carteſius, & ante omnia finxiſſe ſe ait falſa eſſe quæ pro veris antea habuimus, nec ullum omnino extare corpus, nec ullum eſſe mundum; nullam ergo jam eſse habendam rationem corporis: at quamvis homini corpus detrahamus, cogitationem detrahi non poſse; atque hinc effici hominem non poſse non eſse rem cogitantem, etiamſi poſſit non eſse res corporea. Sed reſpondet Epicureus accipere ſe conditionem, & ſe fingere cum Carteſio nullum extare corpus: verum ſi nullum extet corpus

pus; nec ullam fore cogitationem, nec rem ullam quæ cogitet. At, inquiet Carteſius, qui fingit nullum extare corpus, tamen cogitat. Cogitat, inquiet Epicureus, quia etiamſi fingat nullum extare corpus, extat tamen corpus aliquod, nam ſine corpore non poteſt cogitare. Haudquaquam autem quærimus quid, ſit, ſed quid ſequatur ex hoc figmento, nullum extare corpus. Falſo autem uno poſito, falſa alia conſequi neceſse eſt. Si fingas nullum eſse corpus, ſequetur nihil eſse quod cogitet; neo cogitabit Carteſius, ſi corpore careat. Sin verum erit, eſse aliquid quod cogitet, neceſse erit extare corpus aliquod. Fingit igitur pugnantia Carteſius, cum fingit nullum eſse corpus; fingit enim per corpus; & ſine corpore fingere nihil poteſt. Idem igitur peccat ac ſi diceret, ſe ratione cognoſcere hominem ratione carere: nam qui ratione novit aliquid, ratione pollet. Ita ſi cogitatio nulla in homine eſse poteſt ſine corpore, fingere non poteſt ſe corpore carere ſine corpore.

V. Inſtat vero Epicureo Carteſius, nec jam diſputare ſe ait, ſitne ipſe revera aliud quippiam ac res cogitans, puta an ſit res corporea; ſibi id in præſentia ſatis eſse, quod certum habeat ſe eſse rem cogitantem: quod ſi præterea ſit res corporea, tamen rem illam cogitantem, ſive mentem, plane diverſam eſse à re illa corporea, ſive mente; quippe quarum diverſas penitus ac diſtinctas ideas habeat: res autem eas eſse diſtinctas, quarum diverſæ ha-

V. *Etiamſi diverſæ haberi poſſint ideæ rei cogitantis, & rei corporeæ, non hinc tamen efficitur res eſſe diverſas.*

habentur ideæ. At id negabit Epicureus noſter, & hoc utetur exemplo: Si aliquem, inquiet, loquentem audiam, recte colligere potero, id quod audio rem eſse loquentem; nulla interim ratione habita cæterarum rerum quæ rei illi loquenti adjunctæ ſunt, & per quas fit locutio; puta, linguæ, dentium, & corporis totius, ac animi etiam. Quamvis autem diſtinctas ideas habere poſſim, & rei loquentis, quatenus loquens eſt, & corporis per quod fit locutio, quatenus corpus eſt, non effici tamen rem loquentem aliud eſse quàm corpus. Rurſum contra pertendit Carteſius, res eas quas intelligo, tales fieri poſse à Deo, quales à me intelliguntur; Deum itaque res eas ſeparare & diſtinguere poſſe, quas animo diſtinguo & ſeparo; quæcunque autem dividi poſsunt, quacunque tandem vi, ſive divina, ſive humana dividantur, eſse diverſas; ac rem proinde cogitantem, quæ mens eſt, diverſam eſse à corpore. Reſponſio in promptu eſt: minime nunc quæri quid fieri poſſit, ſed quid ſit; an Carteſius cogitans, ſive id quod cogitat in Carteſio, aliud ſit ac corpus ipſum Carteſii, & corpore careat. Ait vero Epicureus, id quod cogitat in Carteſio, eſse corpus ipſum Carteſii; & cogitationem Carteſi eſse actionem corporis Carteſii; pugnare autem hæc ſecum, actionem corporis eſse ſine corpore; quippe ſi ſit ſine corpore, non fore actionem corporis; res autem ſecum pugnantes, ſeque mutuo tollentes ſimul eſse non poſse.

VI. Ex his facile jam exiſtimatur, vere-

VI. *Falſum eſt, prius, certius, & clarius cognoſci mentem quàm corpus.*

ne ſuperioribus ſubjunxerit Carteſius, prius à ſe, certius, & clarius cognoſci mentem ſuam quàm corpus. Nam cum per cognitionem ad hanc notitiam pervenerit, cogitatio autem ſit actio mentis per corpus edita; prius, certius, & clarius cognoſcitur corpus per quod edita eſt actio, quàm mens à qua edita eſt. Quemadmodum ſi quis lapide ab aliquo ſit ictus, prius, certius, & clarius cognoſcet lapidem per quem ictus eſt, quàm fundam aut manum à qua lapis miſsus eſt. Æquius certe pateremur, ſi dixiſset, prius nos, certius, ac clarius cognoſcere cogitationem noſtram, quàm corpus: nam cum cogitatio ſit actio mentis, ut dixi, per corpus edita, prius percipitur actio hæc quæ editur in nobis, quàm id per quod editur; ut lapidis actio, ſeu ictus, prius percipitur quàm lapis; prius vero lapis, quàm brachium à quo miſsus eſt. Itaque quamvis prius & clarius percipiatur à nobis cogitatio quàm corpus, non idcirco prius & clarius percipitur à nobis res cogitans quàm corpus: cum res cogitans non aliter percipiatur à nobis quàm per cogitationem, quæ per corpus in nobis editur; prius autem percipiatur id per quod cogitatio in nobis editur, quàm id à quo editur. Captioſum vero illud eſt quod objicitur, prius noſci inſtrumentum quo fit opus, quàm opus ipſum; prius calamum, quàm ſcripturam; prius ſcalprum, quàm ſtatuam; ac proinde animum quo corpus noſcitur, quàm corpus. Ante habeat ſcalprum artifex neceſse eſt, quàm ſtatuam faciat: ſtatua vero quid ſit, certius & clarius novit, quàm quid ſit ſcalprum; cum ad faciendam ſtatuam quam noverat, quamque habebat in animo, ſcalprum deinde comparaverit; cumque aliud fortaſse in-

ſtrumentum

ſtrumentum excogitare ad id potuerit. Prius eſt igitur ſcalprum, quàm ſtatua; at prius noſcitur ſtatua, etiamſi nondum facta ſit, quàm ſcalprum. Similiter ut homo mentem intendat ad corporis cognitionem, prius mentem habeat neceſse eſt, quàm cognitionem corporis: at neceſse non eſt, ut prius habeat cognitionem mentis, quàm corporis. Imo; plane ignorare poteſt quid ſit mens, quid ſit cogitatio, cum non ignoret quid ſit corpus; ut artifex ille dum facit ſtatuam, certam habet ac claram ejus notitiam, materia nempe qua conſtat, dimenſionum ejus omnium, omniumque ad eam pertinentium; cum ignorare penitus poſſit quid ſit mens quæ operis impreſſam in ſe effigiem habet; quæ vis brachia, quæ manus, quæ digitos ad opus concinnandum regat. Nunc ſi argumentum hoc regeramus in Carteſium, tum quoque clariſſime ejus apparebit futilitas. Nam ſi ex eo quod per animum noſcitur corpus, ſequitur prius & certius noſci animum quam corpus, quæro ab adverſario, quo inſtrumento animum cognoſcit homo, reſpondebit haud dubie cognoſcere per animum; nec enim tam aperte ſibi contradicet, ut affirmet cognoſci animum per corpus. Quod ſi prius & certius cognoſcitur id, per quod cognoſcitur aliud quippiam, quàm id ipſum quod cognoſcitur, ſequitur prius & certius cognoſci animum quàm animum: quod abſurdum eſt. Id ſane auditur argumentum, unde non video quomodo expedire ſe queat Carteſius. Nam ſi Meditationibus ſuis certam inſtitit viam ad animi notitiam, animumque certo novit, novit utique per animum. Prius autem quam ſciat ſe animum certo noſſe, ſcire debet ea ſe certo noſſe quæ novit per animum. At prius quàm ſciat ea

ſe

ſe certo noſſe quæ novit per animum, ſcire debet animum aptum & utile eſse inſtrumentum ad verum certo cognoſcendum. Rurſum priuſquam id ſciat, noſcere debet naturam animi. Ergo ad cognoſcendam animi naturam, natura animi noſcenda eſt; atque ita petitur principium, & in idem recurritur. Liquet ergo quàm caſſa ſit & inanis hæc Cartesii opinio, quæ ſummis etiam Philoſophi hujus admiratoribus quibuſdam tantæ vanitatis plena viſa eſt, ut abjecta penitus ab iis & deſerta sit.

VII. Nec leve doctrinæ ejuſdem vitium eſt, quod totum hominem mente ſola conſtare decernit; corpus vero ad ejuſdem naturam minime pertinere: quod delirium à Pythagora ortum, in Platonicorum & Stoicorum manavit Scholas, & nonnullorum quoque e recentioribus animos infecit. At non alium quàm hæreſeos titulum opinioni huic imponit Tertullianus, & nos eam olim in Origene (1) non ſegniter caſtigavimus. Quæramus nunc quibus eam inſtaurare & defendere argumentis auſus ſit Carteſius. Fingo, inquit, me corpore carere; at fingere non poſſum me non eſſe: quia dum fingo, cogito; dum cogito, ſum. Contra, ſi cogitare deſinam, etiamſi corpus meum extet, nulla mihi cauſſa erit cur credam me eſſe. Cum itaque fingere poſſim me eſſe ſine corpore, non poſſim vero fingere me eſſe ſine cogitatione; quotieſcunque autem clare & diſtincte res animo disjungo, diverſas eas eſ-

VII. *Falſum eſt totam hominis naturam in eo poſitam eſſe, quod cogitat.*

(1) *Origen. lib. 2. cap. 2. quæſt. 6. §. 16.*

eſſe neceſſe ſit, ſequitur eſſe meum non pendere à corpore, ſed à cogitatione, meque à corpore diverſum eſſe aliquid, rem nempe quamdam, cujus tota natura in eo poſita ſit ut cogitet. Dialectici, veſtram fidem! Latentem illic ambiguitatem, cui tota nititur argumentatio, mecum agnoſcite. Demus Carteſio quod poſtulat: fingat ſe corpore carere: fingere vero non poſſit ſe non eſſe; quippe qui cogitet, dum fingit; & ſit, dum cogitat. Quid tum? erit quidem, etiamſi non habeat corpus, ſed non erit id quod nunc eſt, homo videlicet, corpore concretus & animo: at cum corpore carebit, jam homo non erit. Ergo cum ait ſe eſſe, dum cogitat, & corpore caret, ineſt ambiguum in voce *eſſe*; eſt enim, ſed non homo. Habeat ergo Carteſius diſtinctas quantum volet & diverſas mentis ſuæ ac corporis ideas, efficiatque mentem eſſe poſſe ſine corpore, corpus ſine mente; at mentem ſine corpore, hominem eſſe numquam efficiet.

VIII. Doctrinam præterea ſuam de animorum noſtrorum natura hoc Paradoxo cumulat Carteſius, ſentire animum, non corpus: cujus hanc habet rationem, quod cum in ardua aliqua contemplatione defixus animus eſt, vel ἐκστάσει abreptus, torpet corpus ſine ſenſu, & ad res extrinſecus objectas vel admotas ſtupet. Animum autem ſentire ait, non quatenus per ſenſuum exteriorum inſtrumenta diffuſus eſt, ſed quatenus cerebro conjunctus: eo quippe læſo ſenſus tolli, cum corpus tamen animatum ſit. At nobis ad hæc exploranda, licet ex par-

VIII. *Falſum eſt animum ſentire res externas, non corpus.*

parvis magna cognoſcere. Cum animus noſter in attenta rei alicujus cogitatione verſatur; ſæpiſſime fit ut alio diviſis mentibus, alio auribus & oculis, etiamſi audiamus, videamus, frigeamus, æſtuemus, non animadvertamus tamen nos videre, frigere, æſtuare; quæ ſtatim percipimus omnia, poſtquam à cogitatione animum revocavimus. Certum tamen eſt tum incogitantibus nobis pulſari aures noſtras, res externas depingi in oculis, audire corpus, videre, frigere, æſtuare, quippe quod ad hæc ſentienda rite diſpoſitum ſit. Itaque ſi clarior aliqua lux de repente incurrat in oculos, aut gravior edatur ſonus, aut glacies corpori vel ignis admoveatur, affecto vehementius ſenſu convertetur ad eum illico animus. Nam cum ad res duas diverſas eodem tempore attentus eſſe non poſſit, ad eam ſe adjungit, à qua validius afficitur. Idem ex eo quoque apparet, quod identidem experimur, ſi quando ad aures noſtras verba aliquot proferat quispiam, vel cantiunculam ſæpius occinat, dum animum alio attentum habemus; ſtatimque ſileat, cum mentem ad res auditas revocamus. Sæpe enim fit ut ad prolata verba accurate reſpondere, vel cantilenam memoriter recitare poſſimus: quod utique non fieret, niſi utrumque ſenſu ita percepiſſemus, ut ſenſui adhuc inſidere viderentur. Clariſſimum id quoque eſt in dormientibus, qui quamvis ſenſibus omnibus videantur orbati, levi tamen murmure vel pulicis morſiuncula, vel acus punctione, etiam dum gratiſſimis ſomniis deluſus eſt animus, excitantur. Unde intelligas tum ſentire corpus, etiamſi animus alio abſtractus ſit. Idem de ſublimiori contemplatione aut ἐκστάσει cenſendum eſt: quo longius enim co-

cogitando abſceſſit animus, eo minus corpus quæ per ſenſus patitur poteſt advertere. Nam tum collectis ſpiritibus ita oppletur cerebrum, ex eorumque agitatione percellitur, iiſque conjungendis & disjungendis occupatur; ut reliquis exequendis muneribus, nervorumque motibus percipiendis par eſſe non poſſit. Ad ea tamen acriori ſenſuum impulſione ſæpe retrahitur. Sin minus, velut morbo aliquo obſeratas eſſe cerebri fores, & interclusum ad id commeatum putare debemus. Quæ cum ita ſint, cognitu facile eſt, corpus ſentire, non animum: nam ſi abſtractus animus ſenſu corporis revocatur, ſentire corpus neceſſe eſt, priuſquam id animus intelligat. Imo vero, dum incogitantibus nobis res videmus, corpus ſentire manifeſtum eſt, animum vero non ſentire. Cum vero liber & vacuus animus, exceptam in ſenſus inſtrumento impreſſionem percipit, tunc ſentit quidem pars illa corporis, animus vero cognoſcit ſentire partem hanc, deque hac impreſſione & ſenſus affectione arbitrium facit. Nec aliud ſibi velle viſus eſt Auguſtinus (1), cum dixit non corpus ſentire, ſed animam per corpus, quo velut nuntio utitur ad formandum in ſeipſa quod extrinſecus enuntiatur. Frigere digitum, pedem comprimi agnoſcit animus; ipſe non friget, neque comprimitur: ſentire quippe, corporis eſt; animi vero, corpori tribuere facultatem ſentiendi, & impreſſiones in eo factas, ſenſuumque affectiones cognoſcere. Contra vero, etiamſi multa videre videantur Phrenetici & dormientes, quæ non vident, non hinc

(1) *Auguſt. de Geneſ. ad liter. lib.12. cap.24*

hinc concludas videre animum, corpus non videre: non enim in iis tum ſit viſio, ſed opinio tantum viſionis. Quamobrem cum vera fiat viſio, dum abſtracto animo corpus videt; contra nulla fiat viſio, dum animus videt corpore non vidente, perſpicuum eſt corpus ſentire, non animum.

IX. Vexatiſſimam ſententiam de ideis innatis etſi ex Platonica Philoſophia furtim ſublegit Carteſius (1), ita tamen interpolavit, ut alia videri poſſit. Diverſa eſto, ut voles, æque certe falſam eſſe oſtendam. Statuit hic triplex eſſe in nobis idearum genus; ut ſuprà jam dixi, quarum aliæ adventitiæ ſint, cujuſmodi eſt idea Solis, quàm ex conſpecto Sole in ſe habet unusquiſque; aliæ factitiæ, cujuſmodi eſt idea Solis, qualem rationibus ſuis inveniunt Aſtronomi; aliæ demum nobis ingenitæ, quas naturales appellat, cujuſmodi ſunt ideæ Dei, mentis; naturarum, quæ eſſentiæ vocantur, formarum Geometricarum, axiomatum quibus utuntur Mathematici, aliarumque rerum conſilium. Has ideas naturales nonnunquam conceptis verbis ait (2) nihil aliud eſſe quàm facultatem ipſam cogitandi, qua mens noſtra pollet, & quàm in Scholis actum primum cogitandi appellare ſolent: continuo tamen ſubjicit ideas illas eſſe formas cogitationum; cogitationes vero ipſas, ſive, ut vulgo loquuntur, actum ſecundum cogitandi, à facultate cogitandi

IX. *Falſum eſt eſſe aliquid in intellectu, quod non fuerit in ſenſu*.

(1) *Carteſius Medit.* 3. *& Epiſt. Tom.* 2. *Epiſt.* 54.

(2) *Carteſius Epiſt. Tom.* 1. *Epiſt.* 59.

gitandi proficiſci. Atque hæc ſane pugnant: nam ſi cogitatio oritur à facultate cogitandi, differre neceſſe eſt cogitationem à facultate cogitandi, ut id quod effectum eſt à cauſa. Deinde ſi idea eſt forma cogitationis, cum forma ſit aliud ac id cujus eſt forma, ut anima hominis aliud eſt ac homo, idea profecto aliud eſt ac cogitatio. Tria igitur in eo ipſo agnoſcit Carteſius, quod unum idemque eſſe dixerat; facultatem ſcilicet cogitandi, cogitationem, & ideam. At idem (1) tamen ubi differit de idea Dei, quam menti impreſſam gerimus, hanc à mente noſtra nec effictam eſſe, nec effingi potuiſſe contendit; verum à Deo ipſo eſſe in mente noſtra conſignatam & impreſſam, quemadmodum & ideas axiomatum illorum, quæ habentur immutabilia & æterna. At multo etiam magis diſcrepant iſta à ſuperioribus: nam ſi ideæ ſunt facultas ipſa cogitandi, idea Dei eſt facultas cogitandi de Deo; & ideæ rerum cæterarum omnium ſunt facultas cogitandi de rebus iis cæteris: facultas autem illa cogitandi ad quaſcunque res cogitandas adhibeatur, una tamen & eadem facultas eſt: ut facultas pingendi, ſive ad pingendam arborem adhibeatur, ſive domum, eadem facultas eſt. Unde manifeſtum concluditur ideam Dei, ac reliquas ideas, quas naturales & innatas appellat, non differre ab ideis adventitiis, aut factitiis; ac idcirco cum hæ à nobis effictæ ſint, & illas quoque. Deinde cum ſcribit alio loco Carteſius (2) ideas illas æternas, puta axiomata il-

(1) *Carteſius Princip. Philoſ. Part.* 1. *cap.* 15. 16. 18.

(2) *Carteſius Epiſt. Tom.* 2. *Epiſt.* 104.

illa Geometrica, in animis noſtris conſignari à Deo, uti leges à rege in animis eorum qui parent ipſius imperio, aliud quid eſſe fatetur ideas ac facultatem cogitandi. Gratificemur tamen Carteſio, ſicque ſententiam ejus commode interpretemur, ideam innatam, puta Dei, eſſe facultatem menti noſtræ ingeneratam certo quodam modo cogitandi; quo modo quotieſcunque cogitabit mens, ideam Dei in mente extituram. Verum ne ſic quidem ſe extricabit: nam quid diſcrepabit idea ingenita ab idea adventitia, aut factitia? idea enim Alexandri, quæ factitia eſt, poterit pari jure dici facultas menti ingenerata certo quodam modo cogitandi; quo modo quotiescunque cogitabit, extabit in ea idea Alexandri. Vacillat ergo tota hæc Carteſii (1) doctrina. Is præterea ut probet ſubſidio ſenſuum non egere animum ad ideas effingendas, hoc utitur argumento: nihil aliud à rebus externis ad animum ſenſuum ope & interpoſitu pervenire, quàm motus quoſdam corporeos, quos ne animus quidem tales percipit, quales ſunt in ſenſibus; propterea que ideas motuum & figurarum, & multo magis etiam doloris, colorum, ſonorum, aliarumque rerum ſimilium, in nobis eſſe ingeneratas, & animum ſibi eas exhibere, quotieſcunque excitatur per motus illos corporeos, quorum ſimile nihil habent ideæ; unde colligit, cum ideæ rerum extrinſecus objectarum nobis ſint innatæ, non à rebus externis ortæ, potiori jure idem de notionibus communibus, ſive axiomatis eſſe dicendum, quæ neque ſunt in rebus externis, nec per mo-

(1) *Carteſius Epiſt. Tom.* I. *Epiſt.* 95.

motus corporeos, ſenſuumve nuntium ad animum veniſſe poſſunt: res quippe externas, ac motus quoque illos, & ſenſus, res eſſe ſingulares; axiomata vero eſſe univerſalia nullam affinitatem cum motibus & ſenſibus habentia. Fatemur nos quidem ideas rerum externarum fingi ab animo, poſtquam de iis fingendis admonitus eſt motu quodam corporeo & nuntio ſenſuum à rebus externis impulſorum: at motus illos corporeos dicimus plagam ſive notam imprimere in cerebro; quàm plagam in cerebro deprehendens animus proxime illi conjunctus, hoc velut admonitu, hanc, illamve ideam concipit ac confingit; cum prius non eſſet; minime vero eam ſibi exhibet & recognoſcit, quaſi prius eſſet. Neque ullam porro concipere & confingere poteſt, niſi plagam hujuſmodi in cerebro perceperit. Univerſales porro ideæ exceptæ ſunt ex ſingularibus, cum animus in rebus multis idem quippiam animadvertens, excerpit illud è multis in quibus fuerat diſperſum, & in unum colligit, atque inde ideam univerſalem conflat. Velut in Petro & Johanne, aliiſque hominibus ſingulis deprehendens eos eſſe animalia ratione prædita, jam neque Petrum, neque Johannem, neque ullum ſingularem hominem ſpectans, educit illud & componit in unum quod multiplex fuerat, ac generalem illam & univerſalem conflat & confingit ideam, ſibique commendat, omnem hominem eſſe animal rationale.

X. Ulterius etiam conjiciendo progreſſus eſt Carteſius, & partem corporis in qua præ-

X. *Falſum eſt in Conario præcipuam eſſe ſedem animi.*

præcipuam ſibi ſedem delegit humanus animus deprehendiſſe ſe jactavit. Hanc eſſe vult particulam illam de genere glandularum, quæ Conarium à figura appellatur, quæque ſubjecta eſt projecturis illis duabus cerebri, quas γλȣτία Veteres dixere. Cauſſas cur id opinetur, has affert; ad percipiendas res externas duplicia nos à natura habere inſtrumenta, duos oculos, duas aures, duas manus; cogitationes vero noſtras, ſimplices eſſe atque unas; neceſſarium eſſe itaque, ut pars aliqua ſit in nobis ſimplex atque una, quæ duplices rerum externarum impreſſiones à ſenſuum inſtrumentis exceptas recolligat & in unum conjungat, antequam ad animum perveniant; ne res externæ ſingulares & ſimplices ab eo tanquam geminatæ & duplices percipiantur; in cerebro autem, ad quod ſenſuum pertinent inſtrumenta, & rerum externarum imagines appellant, nullam aliam hujuſmodi reperiri partem, quàm Conarium iſtud; quod neque duplex eſt, ut reliquæ partes cerebri; nec tot mutationibus, morbisve obnoxium; & medium hujus obtinet; & inter ventriculos cerebri ita ſitum eſt, ut conceptorum in iis ſpirituum animalium curſus temperare, & ab iis ultro citroque commeantibus viciſſim moveri poſſit, ut pote ex tenuiſſimis ſuſpenſum arteriis. Magna enimvero apud Carteſianos commenti hujus admirabilitas olim fuit, quaſi abſtruſum illud ac reconditum corporis & ſpiritus vinculum unus induſtria ſua pateſeciſſet. At pleroſque credulitatis ſuæ tandem puduit: nonnulli ne nunc quidem reſipiſcunt. Nos quàm nauci nihilique ſit hæc opinio paucis oſtendemus. Negamus primum neceſſarium eſſe, ut in nobis ſit pars aliqua ſimplex & unica, quæ dupli-

ces rerum imagines conjungat, ne geminentur in animo earum perceptiones. Quemadmodum enim ſi tympana duo ejuſdem ſoni, eodem tempore, æquali ictu pulſentur, etiamſi ſint ſoni duo, ſic tamen afficientur aures noſtræ, quaſi unicus ſit ſonus: ita etiamſi in ſenſuum inſtrumentis externæ rei impreſſio geminetur, quoniam tamen duæ res omnino congruentes, eodem tempore, eodemque modo referuntur ad cerebrum, perinde fit ac ſi ſimplex prorſus foret impreſſio. Jam quod ait partes cerebri reliquas eſſe duplices, ſolam hanc unam & ſingularem, ridiculum eſt: annon enim quartus cerebri ventriculus, quem Nobilem vocant, unus eſt? annon tertius, propptereaque in eo collocatus ab Herophilo animi principatus? annon una eſt glans illa, cui Pituitariæ nomen fecerunt? annon unus Fornix baſis? unum Infundibulum? unum Septum lucidum? unum μεσόφρυον, hoc eſt, Medium ſuperciliorum, in quo ἡγεμονικὸν mentis poſuit Strato? una radix Medullæ ſpinalis, qua nempe in ramos abire incipit? una Cerebelli Epiphyſis vermiformis? annon Cerebellum quoque unicum eſt? annon Cerebrum? annon Caput ipſum, quod totum eſſe animi ſedem voluerunt Democritus & Plato? Reſpondet Carteſius, hæc nomine tantum una eſſe, re ipſa duplicia vel multiplicia potius. Quaſi tertius ventriculus, quaſi quartus, duplex aut multiplex dici poſſit. Quaſi Conarium duplex aut multiplex dici non poſſit. Annon enim bifariam, multifariamque ſcindi poteſt? annon utraque pars ſuis eſt inſtructa fibris? annon geminus ejus nervus eſt? annon multi ſinus, quibus collectos humores in modum ſpongiæ continet? Jam

quod ait Carteſius, perpaucis eſſe illud mutationibus, morbisve obnoxium, falſum hoc eſt: ita enim flacceſcit in cadaveribus, teſte ipſo Carteſio, vix ut deprehendi poſſit; & ſimul atque aëri expoſitum eſt, concidit & detumeſcit; humore nimirum, quem ſinubus ſuis continet, vel in annexa vaſa profluente, vel per vicini aëris appulſum exareſcente. Hinc efficitur, ut in vivis etiam corporibus, prout affecta ſunt vel calore, vel frigore, vel morbo, vel ſanitate; vel ebrietate & ſatietate, vel ſiti & fame; vel humorum abundantia, vel ſiccitate, ſæpiſſime mutari id neceſſe ſit. Itaque in eo repertas eſſe aliquando arenulas, atque etiam calculos teſtificantur Medicorum filii. Ineptum vero eſt, & à recentiorum Anatomicorum inventis ac doctrina prorſus alienum, & à Galeno (1) ipſo jam olim confutatum, quod ſubjungit Carteſius, temperari à Conario motus ſpirituum animalium in cerebri ventriculis curricula ſua exercentium. Fuit hæc veterum opinio, conceptacula illa cerebri, ſpirituum animalium eſſe officinas: verum ſubtilioribus Anatomices experimentis cognitum eſt, deſtinata ea eſſe excipiendis cerebri excrementis, quæ illic collecta devolvuntur in Infundibulum, Pituitariamque glandulam, & in Proceſſus mamillares, & os Ethmoides. Inde adeo humore ſæpe plena, ſemper certe obducta & madefacta reperiuntur. Conarii vero ipſius non alium eſſe volunt uſum, quàm reliquarum corporis glandularum, excernendi videlicet humores ſuperfluos: excernit enim humores crurum ſuperiorum Spinalis medullæ, ut Wartho-

(1) *Galen. de uſu part. lib. 8. cap. 14.*

no placet, vel ſerum ſanguinis proximis Plexus choroidis vaſis incluſi, ut Williſio; diligenti utrique inſpectori naturæ. Cum ergo Conarium, & ſero quod in cavernis ſuis continet, & perpetuo pituitæ appulſu, quæ in cerebri ventriculos influit, ſemper humectum ſit & madens, extingui neceſſe foret illud animi rationiſque lumen, quod ex ſublimi hac arce in totum hominem emicare fingit Carteſius; & obruerentur animales illi ſpiritus, quos alioqui tam copioſos quenam illuc vaſa, qui canales inferre poſſint, minime apparet.

CAPUT QUARTUM.

Expenditur Carteſii ſententia de *exiſtentia* Dei.

I. *Exponitur Carteſii ſententia de* exiſtentia *Dei*. II. *Exploratur Carteſii opinio de idea rei infinitæ & ſumme perfectæ, quæ in nobis eſt*. III. *Idea rei infinitæ & ſumme perfectæ, quæ in nobis eſt, finita eſt & imperfecta*. IV. *Falſum eſt finitum cognoſci ex infinito, non hoc ex illo*. V. *Idea rei infinitæ & ſumme perfectæ, quæ in nobis eſt, neque clara eſt, neque diſtincta*. VI. *Idea rei infinitæ & ſumme perfectæ, quæ in nobis eſt; aliunde proficiſci poteſt, quàm à re infinita & ſumme perfecta*. VII. Realitas objectiva, *quæ eſt in idea rei infinitæ & ſumme perfectæ, tota eſt à mente noſtra*. VIII. *Ex idea rei infinitæ & ſumme perfectæ, quæ in nobis eſt, non neceſſario ſequitur rem illam infinitam & ſumme perfectam extra mentem noſtram extare*. IX. *Ex idea rei infinitæ & ſumme perfectæ, quæ in me & aliis eſt, colligi non poteſt* exiſtentia *Dei; nec proinde ex illa quæ in Carteſio eſt*. X. *Per vitioſum ratiocinationis circulum* exiſtentiam *Dei probat Carteſius*. XI. *Expugnatis argumentis, quibus* exiſtentiam *Dei demonſtrare conatus eſt Carteſius, ruit ipſo fatente, omnis ejus Philoſophia, & feneſtra erroribus aperta eſt*.

I. SUo nunc ordine flagitat cenſuram noſtram Carteſii argumentatio, vel ludificatio potius de *exiſtentia* Dei. Ea eſt

I. *Exponitur Carteſii ſententia de* exiſtentia *Dei*.

hujuſmodi. Nemo, inquit, homo eſt, qui ſi mentem ſuam excutere, & mentis notiones explicare aut poſſit, aut velit, in ea non deprehendat ſplendidam & inſignem ideam ſibi ingenitam rei cujuſdam infinitæ, æternæ, immenſæ, omnipotentis, omnia ſcientis, & ſummæ perfectæ, quàm Deum appellamus. Idea porro hæc, cum omnem in ſe præſtantiam, excellentiamque contineat, nec deſit illi quidquam ad ſummam perfectionem, non potuit à rebus externis per ſenſuum nuntium ad nos pervenire, ut pote rerum illarum, quæ fluxæ ſunt, mutabiles, & caducæ, diſſimillima. Nec eam item in nobis ipſi confinximus: qui enim homunculus imbecillus, infirmus, mortalis, ſenſibus obtuſis, ingenio hebeti præditus, opus edat longe ſe nobilius, & excellentius, cujuſmodi hæc idea eſt? Quærendus igitur alius eſt ideæ hujus effector, qui tantæ ſit potentiæ, ut tam eximiis dotibus, infinitate, æternitate, immenſitate, omnique excellentia inſtructum hoc opus edere potuerit. Cum autem conſentiant omnes, quantumcunque præſtantiæ inſit in opere, tantumdem vel plus etiam ineſſe debere in opifice; alioqui præſtantiam hanc & eximias dotes nullam cauſſam habituras cur extent, quod Philoſophus nemo dixerit, ſequitur ideæ hujus opificem infinitum eſſe, omnipotentem & ſumme perfectum. Præterea cum res illa, cujus ideam in mente habeo, infinita ſit & ſumme perfecta, nihil illi deeſſe poteſt, quod ad ſummam perfectionem & abſolutionem deſideretur. Nihil autem plus requiritur ad ſummam præſtantiam & perfectionem, quàm exiſtere. Res igitur illa, Deus videlicet, exiſtit: ac neceſſario quidem; quippe cum tam neceſſarium ſit id exiſtere quod ſumme per-

fectum eſt, quàm neceſſarium eſt, figuræ ejus quæ tribus conſtet angulis, tres angulos æquales eſſe duobus rectis; nec facilius ſit rem infinitam & ſumme perfectam, quæque non exiſtat cogitare, quàm montis ideam habere in animo ſine idea vallis. His argumentis ut vis addatur, in hanc formam compingit ea & contrahit Carteſiana Schola: Ideam rei infinitæ & ſumme perfectæ in mente habeo: idea autem illa non aliunde proficiſci poteſt, quàm à re infinita itidem & ſumme perfecta: res igitur infinita & ſumme perfecta exiſtit. Hæc autem Deus eſt: Deus igitur exiſtit. Deinde: Quidquid pertinere ad rem, cujus ideam in mente habeo, clare & diſtinctè percipio, id ad rem illam revera pertinet: *exiſtentiam* autem ad rem infinitam & ſumme perfectam, cujus ideam in mentem habeo, clare & diſtinctè pertinere percipio: ergo ad rem infinitam & ſumme perfectam, Deum ſcilicet, cujus ideam in mente habeo, pertinet *exiſtentia*.

II. Magna vero hic ineſt concertatio de ideæ hujus natura: hinc enim tota pendet argumentatio. Nam ſi alterius non eſt naturæ ac reliquæ ideæ, quæ in nobis ſunt, fruſtra ad ſumme perfectam infinitam cauſſam recurritur. Ambigua eſt autem in ideæ nomine ſignificatio: nam vel notatur actio mentis qua cogitamus; vel id ipſum quod menti noſtræ objectum eſt, & de quo cogitamus. Conſtat autem ideam rei infinitæ & ſumme perfectæ, quæ in nobis eſt, priore modo ſumtam, finitum quid eſſe & imperfectum; cum perfectior eiſe non

II. *Exploratur Carteſii opinio de idea rei infinitæ & ſumme perfecta, quæ in nobis eſt.*

poſſit mente ipſa unde orta eſt, quæ imperfecta ipſa eſt & finita: quatenus autem ſignificat imaginem rei infinitæ & ſumme perfectæ, quæ menti noſtræ objecta eſt, & de qua cogitamus, tantam ejus eſſe dignitatem & præſtantiam vult Carteſius, ut non modo mentis noſtræ perfectionem longe ſuperet, ſed à Deo ſolo oriri potuerit. Quamvis enim infinitum animo comprehendere non poſſimus, ut pote qui finiti ſumus, at id poſſe certe nos percipere docet: cumque in infinito duo ſpectanda ſint, & res ipſa quæ infinita eſt, & infinitio, quæ ineſt in re illa, infinitionem hanc percipere nos *negative* (liceat enim voces de Scholis depromptas uſurpare) hoc eſt, nullos in ea terminos à nobis deprehendi; at rem ipſam percipere nos *poſitive*, licet non *adæquate* & perfecte. Quemadmodum autem trianguli ideam habere poſſumus, etiamſi quæcunque de eo ſciri poſſunt non ſciamus: ita etiamſi totam infiniti immenſitatem animo perfecte comprehenſam non habeamus, habere nos tamen ideam claram & diſtinctam infiniti; totumque ipſum, licet non omnino, neque omni ex parte, percipere. Ut cum mare è litore proſpicimus, etſi totius maris amplitudinem non videmus, at mare tamen ipſum vere videmus.

III. Quæ cum ita differit Carteſius, plane ſuo ſe gladio jugulat. Nam ſi infinitio rei infinitæ percipi non poteſt niſi *negative*; & infinitum ipſum etiamſi *poſitive* percipiatur, percipi tamen non poteſt *adæquate* ac perfecte; certe rei infinitæ & infinitionis

III. *Idea rei infinitæ & ſummè perfectæ, quæ in nobis eſt, finita eſt & imperfecta.*

nitionis idea finita eſt. Quid enim eſt aliud, rem percipere *negative*, quàm percipere quid non ſit, ſive, ut loquitur Dionyſius (1), aliique Theologi, *cognoſcere per exceſſum & remotionem*. Infinitionem igitur ſi non aliter percipi poſſe quàm *negative* fatetur Carteſius, fateatur quoque neceſſe eſt ſciri quidem poſſe quid non ſit infinitio, ſciri vero non poſſe, quid ſit; ac proinde ideam infinitionis quæ in nobis eſt, eſſe ideam, non ejus quod eſt infinitio, ſed ejus quod non eſt. Id autem quod non eſt infinitio, eſt finitum: unde ſequitur, ideam infinitionis; quæ in nobis eſt, eſſe finitam. Jam ex eo quod ait rem infinitam percipi *poſitive*, etſi non perfecte & *adæquate*; hoc eſt ideam rei infinitæ quæ in nobis eſt, *poſitive* exhibere nobis rem infinitam, etiamſi quidquid in re infinita eſt, *adæquate* nobis non exhibeat, ſequitur ideæ huic aliquid ad perfectionem & abſolutionem deeſſe. Cui autem deeſt aliquid, id finitum eſt: unde manifeſte colligitur, ideam rei infinitæ, quæ in nobis eſt, eſſe finitam. Nec juvat Carteſium ſimilitudo trianguli. Triangulus enim finita res eſt, ut Sol, homo, arbor; atque idcirco ejus ideam habere poſſum; at cum proprietates trianguli ſint infinitæ, quemadmodum & Solis, & hominis, & arboris, earum ideam habere non poſſum; nam infiniti ad mentem meam, quæ finita eſt, nulla poteſt eſſe convenientia nec proportio. Itaque neque rei infinitæ, ob id ipſum quod infinita eſt, neque proprietatum rei infinitæ ideam habere poſſum: nam finitæ tantum ideæ apud me eſſe poſſunt: quæ autem idea finita eſt, rei infinitæ & ſumme perfectæ idea eſſe non

E 5 po-

(1) *Dionyſ. De divin. nomin. lib. I. cap. I.*

poteſt. Ideæ enim, juxta Carteſium, ſunt imagines rerum; imago autem finita, imago rei infinitæ eſſe non poteſt. Rem præclare illuſtrat & confirmat exemplum ipſum maris à Carteſio propoſitum. Si quis enim tractum aliquem maris è litore proſpiciat, is mare quidem videre vulgo dicitur, at improprie, parte pro toto uſurpata: re autem ipſa non mare, ſed tantum particulam maris videt, ex qua maris univerſi vaſtitatem cognoſcere nequaquam poſſit. Ita viſio particulæ maris, & quæ ex ea naſcitur idea, ad ideam maris univerſi collata; talis eſſe videbitur, qualis eſt pars ad totum; manca ſcilicet, mutilata, & imperfecta. Quoniam autem aliqua eſt particulæ maris ad totum mare proportio, ideam particulæ maris ita animo amplificare poſſum, ut ideam aliquam univerſitati totius maris æqualem aliquando tandem in me poſſim effingere: at finiti ad infinitum cum nulla ſit omnino proportio, quantumcunque animo contendam ad amplificandam ideam quæ finita ſit, numquam per eam rei infinitæ notitiam in me exprimam: animo tantum removere potero fines à re finita, eamque magis ac magis extendere; ita ut ad quantamlibet amplitudinem amplitudo alia, & ad hanc porro alia adjiciatur; quoad animus deficiens in cônatu, conſiſtat tandem; non finem quidem ideæ illi imponens, ſed agnoſcens novis ſemper acceſſionibus locum in ea patere. Ergo non aliter percipit infinitum, quàm cum rem percipit fine carere.

IV. Quamobrem ſibi ipſe repugnat Carteſius, cum ait prius ſe percipere infinitum,

IV. *Falſum eſt finitum cognoſci ex infinito, non hoc ex illo.*

tum, quàm finitum; perfectum, quàm imperfectum; Deum, quàm ſeipſum; nec aliter percipere ſe finitum & imperfectum, quàm cum comparatur ad infinitum & perfectum. Nam notionum omnium primam hanc eſſe, *Ego cogito, ergo ſum*, magno dubitationum apparatu docuit. Finita eſt autem hæc notio. Deinde cum fateatur infinitionem rei infinitæ, ſive id per quod res infinita eſt, cognoſci tantum *negative*, neceſſe eſt ideam rei hujus, finitam quidem eſſe *poſitive*; at finibus ab ea per mentis actionem remotis, id quod eſt finitum *poſitive*, fieri infinitum *negative*; quod tantumdem eſt ac ſi dicam, ideam rei hujus quæ finita eſt, ſpectari ut non finitam, non vero percipi ut infinitam. Quemadmodum ſi viam ſpectem, per quam Lutetia ad regiones exteras itur verſus orientem, etſi infinitam non eſſe ſcio, nullum tamen ei animo finem conſtituo; quo circa illam ſpecto, non ut infinitam, ſed tantum ut non finitam, ſive, ut loquitur Carteſius, *indefinitam*. Cum igitur *negativa* infinitio, quam ideæ affingimus, oriatur ex detractione finium quibus, continebatur hæc idea, plane perſpicuum eſt, non ex infinito percipi finitum; ſed contra, remotis finibus, ex eo quod finitum eſt precipi infinitum: Atque in idipſum quod fugiebat incidit Carteſius, cum ſubjunxit, ad percipiendam rem infinitam & ſumme perfectam, ſufficere ut intelligatur eam à nobis comprehendi non poſſe, & quæcunque perfectione aliqua & præſtantia prædita eſſe ſcimus; aliaque hujuſmodi innumera quæ neſcimus, in re illa ineſſe. In quo aperte fatetur ſe agnoſcere rem illam, cujus ideam in mente habet, infinitam eſſe & ſumme perfectam, comparando eam cum rebus finitis aliqua perfectione præditis;

quarum rerum perfectione in unum collecta, aliarumque rerum complurium quas ignoramus perfectione adjecta, exurgit in nobis idea quædam; infinita quidem *negative*, at poſitive finita. Futilis quoque eſt & captioſa alia argumentatio, qua Paradoxi hujus novitatem defendit. Id, inquit, quo à finito differt infinitum, *reale* eſt aliquid & *poſitivum*: (voces ejus refero.) Id autem quo finitum differt ab infinito, nempe limitatio, eſt aliquid *negativum*; defectus ſcilicet *entis*. Acquiri autem non poteſt notitia ejus quod eſt, per id quod non eſt; cum e contrario per id quod eſt cognoſcatur id quod non eſt. Unde efficitur cognoſci finitum per infinitum, non hoc per illud. Fateor id quo infinitum differt à finito, *reale* quid eſſe & *poſitivum*, ſi ad ejus naturam attendatur: ſin id referatur ad noſtram cognitionem, cum infinitum mens humana percipere non poſſit niſi *negative*, id quo infinitum à finito differre percipimus, *negativum*. Nego vero limitationem merum eſſe defectum, ſeu meram negationem; eſt enim mixtum quid ex *poſitivo*, re nempe ipſa finita; & *negativo*, iis nempe omnibus quæ adjici poſſunt ad rem finitam, neque tamen adjiciuntur; ſed ita tamen mixtum, ut in idea limitationis hujus, multo plus *poſitivi* inſit, quàm *negativi*. Velut cum circulum ambitu ſuo finitum ſpecto, idea circumſcriptionis ſeu limitationis circuli, quàm mente informo, non tam conſtat ex negatione ulterioris *extenſionis*, quàm ex circuli intra ambitus ſui fines concluſi notione. Finis enim rei eſt res ipſa quatenus ulterius non extenditur. Similiter cum ternarii numeri circumſcriptionem ſeu limitationem ſpecto, non tam attendo ad infinitas unitates quæ adjici poſſunt,

ſunt, quàm ad tres illas quibus ſolis conſtat hic numerus. Huc accedit quod finis ſeu limitatio rei efficitur, non ſolum ex eo quod res illa caret partibus aliis quæ ad eam adjici poterant, nec adjectæ ſunt, ſed ex eo etiam quod retinet partes ſuas, quæ detrahi poterant, nec detractæ ſunt. Ternarius enim numerus tribus unitatibus conſtat, & definitus eſt; non ſolum quod aliæ unitates adjectæ non ſunt, ſed etiam quod retinet tres illas unitates ex quibus conſtat. Unde perſpicuum eſt limitationem non mere eſſe *negativam*, ſed & *poſitivam*. His expoſitis facile ſolvitur argumenti Carteſiani compages. Ait ille non cognoſci id quod eſt, per id quod non eſt; nec proinde infinitionem per limitationem, ſed hanc per illam; atque idcirco nec infinitum per finitum. Verum ſi res in ſe ſpectentur, tam eſt quod finitum eſt, quàm quod infinitum: ſive ad cognitionis noſtræ modum exigantur, uti exigendæ ſunt, nam id nunc agitur, finitum cognoſcimus *poſitive*, infinitum vero *negative* tantum & in limitationis idea longe plus *poſitivi* ineſt quàm *negativi*. Quamobrem cum, fatente Carteſio, cognoſcatur *negativum* ex *poſitivo*, non hæc ex illo, omnino dicendum eſt, ex infinito, uti à nobis percipitur, neutiquam cognoſci finitum. Clarius quoque alibi Paradoxum hoc ſuum, ſeque adeo Carteſius prodidit, cum conceptis verbis faſſus eſt, ſufficere ad exprimendam in nobis ideam infiniti, rem percipere finibus carentem (1): quod cum ipſi deinde objectum eſſet, in manifeſta repugnantia deprehenſus, non

ſatis

(1) *Carteſ. Epiſt.* 15. & 16. *Tom.* 2. *part.* 116. 131.

ſatis candide eam excuſare conatus eſt. Quamvis ergo ſatis demonſtratum ſit, finitam eſſe & imperfectam ideam rei infinitæ & ſumme perfectæ, quæ in nobis eſt, addendum tamen eſt hoc quoque; cum idea Dei aliud ſit ac Deus ipſe, ſi idea Dei eſt infinita & ſumme perfecta, ſequitur eſſe aliquid infinitum & ſumme perfectum præter Deum: quidquid autem infinitum eſt & ſumme perfectum, Deus eſt: igitur præter Deum alter Deus eſt. Quæ ne fateri cogantur Carteſiani, ideam rei infinitæ & ſumme perfectæ, quàm habent, non quidem infinitam & ſumme perfectam eſſe ajunt, ſed tantum claram & diſtinctam.

V. Sed ſi idea rei infinitæ & ſumme perfectæ, quæ in nobis eſt, imperfecta eſt & finita, certe neque clara eſſe poteſt, neque diſtincta. Nam cum ideæ ſint imagines rerum, ut dixi; imago illa rei ſumme perfectæ & infinitæ, quæ in nobis eſt, cum imperfecta ſit, ſimilis eſſe non potest ſui exemplaris, quod ſumme perfectum est; item cum finita ſit; ſimilis eſſe non poteſt infiniti illius archetypi: nam quid perfecti diſſimilius quàm imperfectum? quid infiniti, quàm finitum? Jam ſi idea aliqua diſſimilis eſt rei cujus eſt idea, clara quidem & diſtincta, ſi ſolam in ſe ſpectes, eſſe poteſt; at ſi contendas cum exemplari ad quod expreſſa eſt, neque clara eſſe poteſt neque diſtincta. Nam ſi imago Socratis, non valde quidem ſimilis ſit ipſius Socratis, ſed ſcite tamen & eleganter depicta ſit, claram utique & diſtinctam ſui notitiam & ſpeciem ſpectantibus dabit hæc pictura; at ſi eam ad Socratem referas, neque claram, neque diſtinctam Socratis notitiam dabit. Simi-

V. *Idea rei infinitæ & ſumme perfectæ, quæ in nobis eſt neque clara eſt, neque diſtincta.*

Similiter ſi quis maris tractum aliquem è litore proſpicit, vel ad montis alicujus latiſſime patentis radices jacens, manu eum contingat (juvat enim uti exemplis ipſis Carteſii) claram quidem & diſtinctam tractus hujus maris, quem videt, vel particulæ montis quàm contingit, ideam mente hauriet; obſcuram autem & confuſam maris, montiſve univerſi. Pari ergo ratione ex imagine infiniti, quæ infiniti ſit diſſimilis, & id perfecte & accurate non referat, claram quidem & diſtinctam notitiam percipiam ejus rei quæ in mente mea informabitur, finitæ videlicet: at nihil id ad infinitum. Deinde ut imaginem infiniti claram & diſtinctam in me eſſe ſciam, prius infinitum ipſum clare mihi & diſtincte noſcendum eſt. Nam quî de imagine Socratis arbitrium certo facere poſſim, qui Socratem nuſquam vidi? Cum autem infiniti notitiam nullam habeam, neque vero habere poſſim de ejus imagine certi nihil poſſum ſtatuere. Quapropter valde abſtruſa, & ab hominum mentibus longe ſemota, non priſcis ſolum Philoſophis, ſed gentibus etiam omnibus ſemper viſa eſt cognitio Dei. Quod & ſacrorum Oraculorum teſtificatione ſæpius declaratum eſt. *Poſuit* (1) *tenebras latibulum ſuum*, inquit Pſaltes de Deo. Et iterum, *Nubes & caligo in circuitu ejus*. Iſaias quoque (2), *Vere tu es Deus abſconditus*. Item Paulus, *Lucem habeat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt*.

VI. Explicata & ſoluta propoſitione Carteſia-

(1) *Pſalm.* 17. 11. & 96. 2.
(2) *Iſa.* 45. 15. 1. *Tom.* 6. 16.

VI. *Idea rei infinitæ & ſumme perfectæ, quæ in nobis eſt, aliunde proficiſci poteſt, quàm à re infinita & ſumme perfecta.*

teſiani argumenti, ruit ipſa ſponte ſua ejuſdem aſſumtio, qua ſtatuit ideam rei infinitæ & ſumme perfectæ quæ in nobis eſt, non aliunde proficiſci poſſe, quàm à re infinita & ſumme perfecta. Nam ſi idea hæc rei infinitæ & ſummè perfectæ, finita ipſa eſt & imperfecta, aliunde ſane proficiſci poteſt, quàm à re infinita & ſumme perfecta; neque neceſſe eſt, ut majoris dignationis, majoriſque præſtantiæ ei aſſignetur cauſſa, quàm rebus cæteris, quæ finitæ itidem ſunt & imperfectæ. Et vero ſi id quod tam ſæpe à nobis flagitat & exigit Carteſius, præſtitiſſet ipſe, & attenta circumſpectione animi ſui notiones exploraſſet, tum facile deprehendiſſet, aliam eſſe poſſe originem, aliaſque cauſſas ideæ hujus Dei, quæ in nobis eſt, quàm quas ipſe commentus eſt. Nam ex confuſa noſtri, aliarumque rerum cognitione, quæ ineſt in nobis, Dei ideam κατὰ μετάβασιν, hoc eſt, per tranſitionem, ut loquitur Tullius; & ſimilitudinem informari & exprimi manifeſtum eſt. Puta, ex eo quod ſumus mortales, moriendi neceſſitatem mente à Deo removemus; ex eo quod ſumus corporei, à Deo detrahimus; ex eo quod erroribus, quod perturbationibus animi, quod vitiis ſumus obnoxii, horum omnium expertem facimus Deum. Jam ſi quid boni in nobis, aliiſve rebus eſſe intelligimus, pulchritudinem, robur, intelligentiam, ſcientiam, virtutem, felicitatem, hæc magis magiſque animo amplificamus, & præter id quod potuimus cogitando confingere, longe plura ſupereſſe putamus. Quam informationem, quoniam finitus eſt & anguſtus noſter animus, longe citra infinitatem conſiſtere neceſſe eſt, & valde obſcuram eſſe ac confuſam. Ergone, inquies nullam

habe-

habemus Dei notitiam? habemus vero, & manifeſtam quidem; at non ex idea Dei hauſtam, ſed ratiocinando collectam, & ex gentium omnium conſenſu, & ex præclaro mundi ornatu & ordine, & ex rerum, uti vocant, *exiſtentia*, earumdemque motu, aliiſque argumentis, quæ & à veteribus Philoſophis, & à ſanctis Eccleſiæ Patribus feliciter ſunt uſurpata. Nam de ea, quam per Fidem accepimus, Dei cognitione, nunc quidem non agimus. Porro qualiacunque ſint hæc argumenta quæ dixi, Deum quidem eſſe nobis perſuadere poſſunt; at quid ſit, quæque ejus natura ſit, propter anguſtiam & caliginem mentis noſtræ, nos edocere non poſſunt.

VII Ex his intelligitur *realitatem* illam *objectivam* Carteſii, quæ eſt in idea rei infinitæ & ſumme perfectæ, totam eſſe à mente noſtra, neque ulla ſui parte ab ea re proxime pendere, quam menti noſtræ exhibet. Hæc ut clariſſima fiant, & omnis commenti hujus fucus eluatur, preſſius agamus cum Carteſio, & decantatæ hujus *realitatis objectivæ*, unde tam ſpecioſa educuntur miracula, vim, naturamque explicemus. Animo informem mundum alterum ab hoc noſtro plane diverſum: *realitas objectiva* mundi illius nihil aliud eſt, quàm *realitas* mundi illius, quatenus menti meæ objectus eſt; qui ſive extet, ſive non extet, cum in mente mea non ſit, nec in mentem meam quicquam immittat, quidquid ſit illud quod menti meæ objectum eſt, nihil omnino ad alterum hunc mundum

VII. Realitas objectiva, *quæ eſt in idea rei infinitæ & ſumme perfectæ, tota eſt à mente noſtra.*

dum pertinere liquet, & ſolius mentis meæ fœtum eſſe, ad arbitrium meum ita ſe componentis, taliaque ſibi fingentis. At certe, inquit Carteſius, *realitas objectiva* commentitii illius mundi menti obverſantis, non eſt plane nihil. Fateor id ſane; nam cum de altero hoc mundo cogito, aliud eſt in mente mea, quàm cum de chimæra cogito. Nihilum autem non differt à nihilo; & idcirco hæc cum differant, ſunt aliquid. Quid ergo ea eſſe dicendum? idem nempe ac figuras ceræ impreſſas; modos videlicet. At modi iſti non ſunt omnino nihil: nam quamvis cera in cubum ducta, eadem cera ſit ac ducta in globum, aliter tamen modificata eſt; & cum inter ſe diſcrepent modificationis iſtæ, utique ſunt aliquid. Similiter mens de altero mundo cogitans, aliter modificata eſt, quàm cum de Chimæra cogitat, neque negari poteſt modificationes iſtas eſſe aliquid. Hinc ſequitur *realitatem objectivam* ideæ alicujus, nihil eſſe aliud quàm *realitatem* modificationis, quæ in mente eſt, dum hanc ideam ſibi objectam habet. Quo nomine *realitatis* ſi id ſignificatur, modificationem iſtam eſſe rem aliquam diſtinctam à nihilo, eam admittimus; ſin ſignificatur eſſe ſubſtantiam, negamus in modificatione hac *realitatem* ullam ineſſe. Quamobrem modificationi huic tantum *realitatis* concedimus, quantum ſatis eſt ut non ſit omnino nihil: at *realitatem* hanc *realitate* ſubſtantiæ longe tenuiorem & exiliorem eſſe apparet; neque ad eam modificationi ulli mentis noſtræ conciliandam neceſſe eſſe, ut infinita ſummeque perfecta cauſſa proxima requiratur.

VIII. Ex-

VIII. Expugnato priore hoc Carteſii argumento, expedita eſt poſterioris confutatio, cui præfixa eſt iſta propoſitio: Quidquid pertinere ad rem, cujus ideam in mente habent, clare & diſtincte percipio, id ad rem illam revera pertinet. Hoc præciſe negari poteſt, Carteſio præſertim, qui de rebus omnibus dubitare nos jubet: pendet enim ab eo decreto, quo in perſpicuitate ponendum eſſe Criterium ſtatuitur, quodque à nobis ſupra profligatum eſt. Et exemplo præterea falſitatem effati hujus comprobabimus. Ad duas lineas in eadem area plana jacente, & quo longius producuntur, eo propius ad ſe mutuo accedentes, quarum ideam in mente habeo, pertinere clare & diſtincte percipio, ut concurrant aliquando: nuſquam tamen Hyperbole, ejuſque Aſymptotus, quantumlibet productæ, concurrent; etiamſi magis, magiſque altera ad alteram producendo accedat. Quod ab Apollonio (1) Pergæo demonſtratum eſt. Verum nolim hic litem movere Carteſio; & pronuntiatum hoc liberaliter admitto. Subjungit ille, clare ſe & diſtincte percipere *exiſtentiam* pertinere ad rem infinitam & ſumme perfectam. In eo vertitur cardo alterius hujus argumenti, ac propterea diligenter expendendum eſt. Duplex eſt rerum genus; earum quæ pendent à mente, neque extra mentem ſunt ullibi, planeque ſunt commentitiæ; & earum quæ reipſa ſunt, atque etiam

VIII. *Ex idea rei infinitæ & ſumme perfectæ, quæ in nobis eſt, non neceſſario ſequitur rem illam infinitam & ſumme perfectam extra mentem noſtram extare.*

(1) *Apollon. Conic. libr.* 2. *Prop.* 1. & 14.

etiam nemine de iis cogitante vere ſunt in rerum natura. In Scholis priores illæ barbare dicuntur *dari* tantum *à parte intellectus*; Poſteriores hæ *dari à parte rei*. Extant utræque, ſed diverſo modo, earumque *exiſtentia* naturam earum ſequitur: nam quæ ſunt tantum *à parte intellectus*, exiſtunt tantum *à parte intellectus*; quæ ſunt *à parte rei*, exiſtunt *à parte rei*. Itaque rei infinitæ & ſumme perfectæ *exiſtentia* ſequitur naturam rei hujus: quæ ſi ſit tantum *à parte intellectus*, non aliam obtinebit *exiſtentiam* quàm *à parte intellectus*. Sin vero ſit *à parte rei*, quæ in eam conveniet *exiſtentia*, erit *à parte rei*. Hæc argumentum Carteſii plane perimunt; quod & clarius fiet, ſi in ſimpliciorem iſtam formam illud redigas. Quod ſumme perfectum eſt, neceſſario exiſtit: res illa infinita & ſumme perfecta, cujus ideam in mente habeo, ſumme perfecta eſt: res igitur illa infinita & ſumme perfecta, cujus ideam in mente habeo, neceſſario exiſtit. Propoſitioni adhibetur diſtinctio: Quod ſumme perfectum eſt, neceſſario exiſtit, eo modo quo eſt. Si re ipſa eſt, re ipſa neceſſario exiſtit. Si eſt tantum in intellectu; tantum neceſſario exiſtitit. Oppoſita quoque diſtinctione excipitur aſſumtio: Res illa infinita & ſumme perfecta, cujus ideam in mente habeo, ſumme perfecta eſt, videlicet *à parte intellectus*: nam totum hoc de quo contenditur, idea ſolum eſt, ex cujus natura probare conatur Carteſius, Deum exiſtere *à parte rei*. Liquet itaque ſenſus concluſionis: Res illa infinita & ſumme perfecta, cujus ideam in mente habeo, neceſſario exiſtit *à parte intellectus*, ſed non *à parte rei*. His ambagibus extricatis, jam ipſe ſe prodit nodus difficultatis,

qui

qui totus latet in complexione duarum partium Propoſitionis; quarum prior eſt, *Quod ſumme perfectum eſt*, altera, *neceſſario exiſtit*. Atqui pars illa prior propoſitionis propoſitionem alteram occulte involvit, hanc nempe, *Aliquid eſt ſumme perfectum*: & connexio illa, *eſt*, furtim hic uſurpat ſignificationem hanc, *exiſtit à parte rei*; adeo ut is inſit ſenſus in latebris propoſitionis hujus, *Aliquid exiſtit à parte rei, quod eſt ſumme perfectum*. Sumit id itaque Carteſius, quod controverſum eſt; nam cum ait, *Quod ſumme perfectum eſt, neceſſario exiſtit*; tantumdem hoc eſt, ac ſi diceret, *Aliquid exiſtit à parte rei quod eſt ſumme perfectum, atque id neceſſario exiſtit à parte rei*. In quo ponit pro confeſſo, quod quæritur, ac manifeſte petit principium. Hæc ut eludant Carteſiani, ac probent in magiſtri ſui argumentatione non ſumi, ut conceſſam *exiſtentiam* rei infinitæ & ſumme perfectæ, in exemplum proponere ſolent hunc ſyllogiſmum: Quidquid clare & diſtincte cognoſco in idea rei alicujus contineri, id rei illi adſcribendum eſt: atqui in idea trianguli clare & diſtincte cognoſco tres angulos contineri: tres igitur anguli adſcribendi ſunt triangulo. Si quis, inquiunt, ad id reſpondeat tres angulos adſcribendos eſſe triangulo, modo adſcribendi ſint triangulo, inepte reſpondeat: nec enim ſumitur hic ut conceſſum, quod vi ipſius argumenti obtinetur. Idem porro peccare ajunt, qui ſic ſolvunt argumentum iſtud, Quidquid clare & diſtincte cognoſco in idea rei alicujus contineri, id rei illi adſcribendum eſt: atqui in idea rei infinitæ & ſumme perfectæ, clare & diſtincte cognoſco *exiſtentiam* contineri: ergo *exiſtentia* adſcribenda eſt rei infinitæ & ſumme perfectæ. Ajunt, inquam,

quam, fruſtra reſponderi *exiſtentiam* adhibendam eſſe rei infinitæ & ſumme perfectæ, modo exiſtat; nec enim ſe ſumere ut conceſſum, quod obtinent vi argumenti. Verum hic quoque nobis offucias prætendunt; nam inter Syllogiſmi utriuſque aſſumtiones magna intercedit differentia: in priore quippe aſſumtione, quæ talis eſt, *In idea trianguli clare & diſtincte cognoſco tres angulos contineri*, triangulo id tribuitur, ſine quo triangulus eſſe non poteſt, quodque naturam ejus conſtituit; omnino enim pertinet ad naturam trianguli, tres habere angulos. At in altera aſſumtione, quæ talis eſt, *In idea rei infinitæ & ſumme perfectæ clare & diſtincte cognoſco exiſtentiam contineri*, id tribuitur rei infinitæ & ſumme perfectæ, quod cujuſmodi ſit, & an ad ejus naturam pertineat, non certo conſtat; nunc enim id ipſum inter nos quæritur, an ad rei infinitæ & ſumme perfectæ, cujus ideam in mente habeo, naturam pertineat *exiſtentia*, & cujuſmodi *exiſtentia*: atque id cum in quæſtione poſitum ſit, ſumitur omnino quæſitum pro conceſſo. Quamvis ergo dem, me non poſſe animo informare ideam rei infinitæ & ſumme perfectæ, niſi exiſtentis; ut neque ideam montis ſine idea vallis; non propterea conceſſero rem infinitam & ſumme perfectam exiſtere, ut neque hunc montem vallemve, quorum ideas in mente habeo. Nec ullum latet hic ſophiſma, ut fruſtra cauſſatur Carteſius, qui id ita conatur diſſolvere; ex eo quidem quod idea montis in me non poſſit eſſe ſine idea vallis, non ſequi montem illum vallemve exiſtere; at ex eo quod animo informare non poſſim ideam rei infinitæ & ſumme perfectæ, niſi exiſtentis, neceſſario ſequi rem infinitam & ſumme perfectam exiſtere. In

quo

quo adhibet ipſe Sophiſma ad reſponſionem hanc infringendam: nam ex eo quod animo informare non poſſim rem infinitam & ſumme perfectam, niſi exiſtentem, ſequitur exiſtere quidem illam, at in animo tantum meo, non re ipſa; & *exiſtentiam*, quam idea illa includit, cogitatione ab ea ſeparari non poſſe. Quapropter quotieſcunque exoritur in animo meo idea rei infinitæ & ſumme perfectæ, exoriri quoque neceſſe eſt ideam *exiſtentiæ*, alterius ideæ comitem individuam, & cum de una cogitat, cogitare quoque de altera; at cum de re infinita & ſumme perfecta, ejuſque *exiſtentia* cogitat, nihil neceſſe eſt rem infinitam & ſumme perfectam, ejuſque *exiſtentiam* extra cogitationem extare. Sive id libet Scholæ locutionibus explicare: Rem infinitam & ſumme perfectam, cujus ideam in mente habeo, ſive quæ eſt *à parte intellectus*, neceſſario comitatur *exiſtentia à parte intellectus*; minime vero eam comitari neceſſe eſt *exiſtentiam à parte rei*. Urgent rurſum Carteſiani, & ajunt, Rem infinitam & ſumme perfectam eſſe *ens* ipſum κατ' ἐξοχὴν, *ens* generale, *ens* infinitum; id cum ſit ſimpliciſſimum, ſimpliciſſimam quoque eſſe ejus ideam; quæ cum *exiſtentiam* neceſſario contineat, ſequi *ens* ex ſe, ſuaque natura exiſtere; repugnare quippe *ens* non exiſtere. Pergunt ambiguitatis latebras quærere; *ens* enim illud generale, notio mentis quædam generalis eſt, ex ſingularium *entium* notionibus collecta; ut animal, notio mentis eſt ex ſingulis animalium notionibus conflata; atque *ens* illud generatim ſumtum, ex æquo pertinet ad res quæ non aliter exiſtunt, quàm in mente, & ad eas quæ extra mentem reipſa exiſtunt; & quatenus pertinet ad rem

infinitam & ſumme perfectam, quæ in mente mea eſt, re ipſa non exiſtit. Ergo ſi ad vocem illam *entis* adhibeatur ſolennis noſtra diſtinctio, ad eam impacta omnis hæc ratiocinatio diſſiliet. Talis illa eſt: Res infinita & ſumme perfecta eſt *ens* ejuſdem naturæ ac res ipſa infinita & ſumme perfecta; *ens* nempe quod extra mentem meam re ipſa non exiſtit; non vero eſt *ens* re ipſa extra mentem meam exiſtens.

IX. Sed ut certius idea hæc Carteſiana rei infinitæ & ſumme perfectæ cognoſcatur, ſuiſque momentis æſtimetur, ajo me æquo jure cum Carteſio acturum, ſi ex idea rei hujus, quæ non in me ſolum, qui exilis ſum ingenii, ſed & in maximis fere ætatum omnium Philoſophis fuit, judicium faciam de idea Carteſii. Atqui neque ego, neque veteres illi Magiſtri, ideam ullam in nobis deprehendimus, in qua tantum præſtantiæ, dignitatis, & perfectionis inſit, ut non humanæ opis, ſed ſolius potentiæ Dei opus eſſe dicenda ſit. Si enim infinitatem & ſummam perfectionem in ea agnoviſſent Philoſophi, qui Dei naturam diligenter & anxie ſcrutati ſunt; tantamque præſtantiam, ut ab humana mente orta eſſe non poſſet, unum illum eſse, corpore carentem, nulla præditum figura, infinitum, æternum, ſumme perfectum eſſe magno conſenſu omnes haud dubie collegiſſent, uti factum à Carteſio eſt. At contra, vel multiplicem confinxerunt Deum, vel corporeum, vel globoſum, vel animalem, vel cer-

IX. *Ex idea rei infinitæ & ſumme perfectæ, quæ in me & aliis eſt, colligi non poteſt* exiſtentia *Dei, ac proinde nec ex illa, quæ in Carteſio eſt.*

certis circumſcriptum finibus, vel morti obnoxium, nec proinde ſumme perfectum: vel Deum omnino eſse penitus negaverunt. Ad me vero quod attinet, cum ideam Dei quæ in me eſt attente conſidero, ſpeciem quamdam deprehendo rei maxima præſtantia & excellentia præditæ; ac tanta, quantam in nulla alia ſpecie unquam deprehendiſſe me memini: & quamvis rerum omnium mihi videatur longe perfectiſſima, agnoſco tamen quidquid illud perfectionis eſt, quod in idea hac percipio, longe infra immenſam & infinitam Dei præſtantiam & perfectionem eſſe poſitum; & quantumcunque vires animi contendam, futurum nunquam ut cogitatione tantam aſſequi excellentiam & complecti poſſim: quippe ex contagione rerum corporearum, quas ſenſibus uſurpare ſoleo, ſemper allitum iri imperfectum quippiam & finitum ad ideam Dei quam in me conor exprimere: at quamvis veram Dei notitiam ab idea hac, quæ finita & imperfecta eſt, habere non poſſim, habere me tamen à ratione. Quamobrem longe verius, digniuſque de Deo & cogitat & loquitur, qui nihil eorum eſſe dicit quæ cogitari poſſunt, quam qui Deum id eſſe quod cogitat, confidenter pronuntiare audet. Cum igitur idea Dei, quæ in me & aliis eſt, ſit hujuſmodi, ejus conſimilem eſſe Carteſii ideam arbitrari poſſum & debeo; ac propterea nihil omnino opus eſſe, cur Deus ad eam informandam auctor aſciſcatur. Quod ſi ſolum ſe ſapere, reliquos homines ſtolidos eſſe dicat Carteſius, ridebimus: quis enim fanaticus, aut furioſus, pari reſponſione deliramenta ſua non approbet? Certe cum ab eo eſset aliquando per literas quæſitum, unde ſibi ideam comparaſſet hujuſmodi, quam viri in-

ingenio, pollentes, quantalibet cura & attentione adhibita in ſe non reperirent, reſpondere auſus eſt, ideam hanc perinde ut in ſe, ſic in aliis quoque ineſſe; verum ab iis non agnoſci. At rurſum ab eo quæſitum oportuit, cur viri illi, & ingenioſi, & diligentes, & ab eo admoniti, ideæ hujus tam ſplendidæ & illuſtris, in animis ſuis verſantis eſſent inſcii, ſolus ipſe conſcius eſſet. Nam quid ad id reſpondiſſet conſentaneum rationi, aut ſimile veri? Quanto credibilius eſt, vanis ipſum imaginibus deluſum cenſuiſſe ea ſe videre, quæ non videret; quàm reliquos omnes ea non videre, quæ obtutibus eorum paterent.

X. Inſignem denique & plane jocularem in argumentationis hujus Carteſianæ commiſſura διαλληλισμὸν ſive ut loqui ſolent in Scholis, petitionem principii, & circulum ſupra jam à me notatum nunc iterum Lector animadvertat. Decernit ille nullam habere nos poſſe rei cujuslibet certam ſcientiam, priuſquam Deum noverimus. Hinc efficitur, notitiam omnem, quæ prævertitur in nobis notitiam Dei, eſſe incertam. Hoc ſi ſit, ideæ omnes, notiones omnes; item propoſitiones, aſſumtiones, concluſiones, quibus ad comparandam Dei notitiam uſus eſt Carteſius, incertæ ſunt. Vel ſi totam hanc pompam demonſtrationis, etiamſi conſtet ex omnibus ratiocinationis partibus, ratiocinationem tamen non eſse, ſed ſimplicem tantum, ut vocant, viſionem & conſcientiam, ridicule affirmantibus Carteſianis ſtolide credamus, conſcientia tamen hæc, ſive viſio, incerta eſt. Quod ſi to-

X. *Per vitioſum ratiocinationis circulum* exiſtentiam *Dei probat Carteſius*.

totum illud, quidquid tandem ſit", incertum eſt; incertum quoque eſt quodcunque inde colligitur. Colligitur autem *exiſtentia* Dei. Attamen ex hac cognitione Dei, tanquam certiſsima, & certiſsimis à ſe argumentis demonſtrata colligit ſuperiora hæc omnia certa eſſe, & quaſcunque prius habuerat cauſsas dubitandi, poſito hoc principio, penitus eſse ſublatas. Quamobrem manifeſto in ſe recurrit: Deus exiſtit, inquit, quia vera eſt idea Dei quæ in me eſt: vera eſt idea Dei quæ in me eſt, quia Deus exiſtit. Quo quid fingi poteſt magis ἀσυλλόγιστον?

XI. Cæterum cum ex hac una Dei notitia omnem ſuam Philoſophiam duxerit Carteſius, ideaſque omnes ſuas, cogitationes, argumentationes, quantumvis claræ ſint & diſtinctæ, dubias fore & inexploratas faſsus ſit, niſi ſua *exiſtentia* Dei probatione nitantur; vitioſam autem eam eſse ac vanam à nobis liquido ſit oſtenſum, ſolvitur ſplendidus ille omnis & operoſus Carteſianæ Philoſophiæ contextus. Videat igitur magnum illud veritatis columen, quid ex idea rei infinitæ & ſumme perfectæ in cauſsæ ſuæ utilitatem poſsit depromere; cum & finitam eſse ideam hanc, & imperfectam, & obſcuram, & confuſam, & minimum *realitatis* gradum obtinere, & ad probandam *exiſtentiam* Dei plane inutilem, luculenter ſit comprobatum. Videt etiam, ſatiſne prudenter, ſatiſque verecunde ſe actum ſit, cum jactavit paſsim & magni-

XI. *Expugnatis argumentis, quibus exiſtentiam Dei demonſtrare conatus eſt Carteſius ruit, ipſo fatente, omnis ejus Philoſophia, & feneſtra erroribus aperta eſt.*

ſice gloriatus eſt, certioribus argumentis oſtendiſse ſe Deum exiſtere, quàm ullum Epicherema Geometricum à Mathematicis ſit demonſtratum; atque una hac via quam aperuit, ad certam tantæ rei cognitionem perveniri; à qua via ſi qui deinceps diſcedere auſint, pro impiis jam inde eſſe habendos.

CAPUT QUINTUM.

Expenditur Carteſii ſententia de corpore & vacuo.

I. *Exponitur Carteſii ſententia de corpore & vacuo.* II. *Et refellitur.* III. *In maximos errores Carteſium impegit ignoratio duplicis extenſionis; quarum alia, quæ corporum eſt,* poſitiva *eſt; alia, quæ nihili eſt, eſt* negativa. IV. *Jocularis error Carteſii de corporum duritie.* V. *Parum candide agit Carteſius, cum Mundum eſſe ait indefinitum.*

I. ALiam nunc attingamus quæſtionem, quæ eſt de corpore & vacuo: & primum quemadmodum eam perſequatur Carteſius videamus. Materiæ, ſive corporis univerſe ſpectati naturam in eo vult eſſe poſitam, quod ſit extenſum in longum, latum, & profundum; quippe id primum in corpore cognoſci & eſſe in nulla enim alia re ad corpus pertinente naturam ejus ſitam dici poſſe; non in duritie, non in pondere, non in colore, calore, frigore, aliiſve hujuſmodi: nam quod

I. *Exponitur Carteſii ſententia de corpore & vacuo.*

quod ſpectat ad duritiem, cognoſci illam ex manuum noſtrarum tactione; quod ſi ergo, cum manus noſtra movetur in aliquam partem, corpora omnia ex illa parte recedant, duritiem illorum perceptum non iri à manu noſtra; nec idcirco tamen corpora hæc corpoream naturam amiſſura, etiamſi nullum nobis exhibeant duritiei ſenſum: item corpora quæ duritie pollent præ cæteris, licet comminuantur in pulverem, vel etiam liquefiant, haud minus tamen futura corpora: de pondere quoque idem eſſe judicandum; ignem enim, qui levis eſt, eſſe tamen corpus; uti & aerem etiamſi colore careat; aquam, etiamſi calore; ignem, etiamſi frigore; ſolam eſſe extenſionem, qua detracta, detrahatur corpus; qua addita, corpus augeatur; quantitatem ſeu extenſionem, à corpore, ſive re extenſa intellectum ſolum, non re diſtingui & differre: imo, ſi quis ea conetur mente disjungere, confuſam tantum rei corporeæ, tanquam corpore carentis, ideam hunc habiturum; claram contra & diſtinctam extenſionis, tanquam corporis, quæ propterea perperam *accidens* appelletur: ſimiliter ſpatium ſive locum internum, qui repletur à corpore, corpus ipſum reipſa eſſe, ſed intellectu ſolum diſtingui; extenſionem enim illam in longum, latum & profundum, qua conſtat ſpatium, hanc ipſam eſſe qua conſtat corpus; id ſolum intereſſe, quod in corpore ſpectetur extenſio, ut ſingularis & individua; in ſpatio, ut generalis, ita ut mutari poſſit extenſio quæ ſpatium implet, corpus nempe ipſum: nec mutetur tamen extenſio illa in qua erat corpus: cum igitur genus & ſpecies re non differant ab individuo, ſed tantum intellectu, extenſionem ſpatii,

non re, ſed intellectu differre ab exten-ſione corporis; quæ cum ita ſint, clariſſi-me apparere nihil eſſe poſſe in rerum na-tura omni corpore plane vacuum; nam cum natura corporis in extenſione poſita ſit, ubicunque ineſt extenſio, neceſſario il-lic ineſſe corpus; alioqui, ſi extenſio illa non ſit corpus, eam fore nihil, atque ita nihil fore extenſum; id autem fieri non poſſe, cum nihil nulla ſit extenſio, nul-læ qualitates, proprietates nullæ: unam hanc eſſe ex anteceptis à pueritia falſis opinio-nibus, quod nullam rem impedire credi-mus, quominus vas aliquod ita vacefieri ſaltem, Deo poſſit, ut nullum in eo cor-pus maneat, nam ſi vacefiat, latera vaſis illico coitura; quippe ſublato ex vaſe omni corpore, ſublatum iri extenſionem, futu-rumque nihil inter vaſis latera; quæ ſi non coeant, poſſitque vas manere cavum, uti erat, cum neceſſaria ſit inter ejus ca-pacitatem, & extenſionem illam genera-lem conjunctio, manſuram quoque exten-ſionem; atque hac manente, manſurum quoque corpus; nihiloque magis percipi poſſe montem ſine valle, quam capacita-tem vaſis, laterumque diſtantiam ſine ex-tenſione, & extenſionem hanc ſine corpo-re; alioquin nihil fore extenſionem, & diſtantiam illam futuram nihil, quæ ſecum manifeſto pugnent; atque hunc errorem cum aliis temere nos à pueritia præſum-ſiſſe, id à Deo fieri poſſe; quod longe ſe-cus eſt: hinc ſequi porro, Mundum nul-los habere amplitudinis ſuæ fines; nam ſi qui eſsent, ultra eos futurum vacuum, quod eſse omnino non poteſt; nec idcirco ta-men cauſsam ſe habere, cur Mundum di-cat eſse infinitum, quod de ſolo Deo di-cendum ſit; ſed tantum *indefinitum*; ad id

enim ſatis eſse, quod probari vel percipi non poſſit ullis eum limitibus contineri; neque ſe negare tamen habere eum poſse limitis aliquos quos percipere nequeat; ſequi etiam, alios Mundos eſse non poſse præter hunc, qui jam extat; nec enim ſpatium ullum eſse vacuum, in quo ſiti eſse poſſint: item ſequi, Mundum hunc numquam eſse deſiturum, niſi eo deſinente novum illico mundum condat Deus, ne minima quidem interpoſita mora ne vacuum oriatur; nec ullum futurum fuiſse ſpatium, ſi nihil unquam Deus creaſset: ſequi denique, idem prorſus ſignificari vocabulis, ſpatii, extenſionis, diſtantiæ, corporis, & materiæ.

II. Adverſus ea multa fuſe, & non infeliciter diſputata ſunt à Philoſophis. Horum præcipua ſunt iſthæc; falſo cenſere Carteſium, id primum in corpore & cognoſci & eſse, quod ſit extenſum; prius enim eſse, habere partes à partibus ſecretas & diviſas, quam eſse extenſum: confundi præterea ab eo extenſionem cum re extenſa; quæ ſi diſtinguantur, uti par eſt, & uti factum nonnunquam ab eo eſt, inventum iri in re extenſa, aliquid: in quo extenſio recipiatur, eique ſuppoſitum ſit: quinetiam cum corpus omne ſit in aliquo loco ſeu ſpatio, ſi ſpatium omne corpus eſt, neceſse eſse corpus omne eſse in corpore; quod abſurdum eſt; nec inficiari poſse Carteſium omne corpus neceſsario deſiderare ſpatium ſive locum in quo ſit, eoque carere haudquaquam poſſe; quippe qui decreverit Mundum alium, præter eum qui nunc extat, idcirco creari non poſſe, quod

II. *Et refellitur.*

nullum ſuperſit ſpatium, locus nullus, in quo locari poſſit: cum autem ſpatium ſive locus, in quem diverſa corpora poſſint ordine ſuccedere, ſit immobile, nec mutetur cum corporibus, ſpatium ſive locum differre à corpore, ſive re locata; vel ſi locus, in quo corpus eſt, dicatur mutari cum corpore, corpus non mutare locum, cum movetur, hoc eſt, e loco in locum transfertur; quo quid ineptius fingi poteſt? Ad hæc quod ait, corpus duritie, mollitudine, calore, frigore, levitate, pondere aliiſque hujuſmodi carere poſſe; extenſione carere non poſſe, idem valere hoc ac ſi dicas, ceram figura quadrata, globoſa, tereti, levi, angulata carere poſſe; ut autem hac, illave figura carere poteſt cera, neque tamen omni figura carere poteſt, ita corpus hac, illave qualitate carere poſſe, nec tamen poſſe omni omnino qualitate carere; quemadmodum corpus carere poteſt hac illave extenſione, pedali puta, vel dodrantali, vel quadrantali; omni omnino extenſione carere non poteſt. Iſtis graviora ſunt hæc, quod auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum doctrina iſta funditus labefactat; nam ſi corpus non eſt, quod caret triplici extenſione, illic corpus Chriſti non eſt, ubi extenſionem illam non obtinet. Id tam apertum, tamque liquidum eſt, ut quidquid contra commenti ſint Carteſiani, vel comminiſcentur poſthac, nauci non eſſe æquorum æſtimatorum judicio definitum ſit. Jam ſi nullus alius Mundus præter hunc noſtrum eſſe poteſt, valde utique imminuitur & attondetur potentia Dei, cui non ſolum Mundi alterius, ſed vel minimi corporis creandi facultas eripitur. Hoc efficere non poteſt Deus, nec efficere poteſt, ut ullum cor-

corpus ab alio corpore penetretur; quod & aperte negavit Carteſius. Id autem pleriſque ſacræ Fidei decretis repugnat. Imo, dicendum quoque Carteſio eſt, ne orbem quidem hunc ex nihilo Deum creaſſe; nec eum deſtruere, & in nihilum ſolvere poſſe; hoc enim ſi fuiſſet, foretve, ſpatium in quo eſt, vacuum fuiſſe ante, & poſt futurum: quod repugnare Carteſius autumat. Quæ ſi admittuntur, admittendum quoque eſt, materiam eſſe æqualem Deo, nec ab eo pendere: quam impietatem ab Anaxagora, Pythagoreis, Platonicis, & Stoicis ortam hauſerunt priſci Hæretici, Marchioniſtæ, Valentiniani, & Manichæi. Et mirabile ſane eſt, adeo in angustum cogi potentiam Dei ab eo, qui efficere hunc poſſe decrevit, ut bis bina non ſint quatuor, & res eadem ſimul ſit & non ſit.

III. Abnormia hæc vitia doctrinæ iſtius fere jam deprehenſa ſunt. Nunc id novi addam, tot monſtra peperiſſe, non falſam modo & abſurdam, ſed plane puerilem Carteſii hallucinationem, quàm colligit illic neceſſario ineſſe corpus, ubicumque eſt longitudo, latitudo, & altitudo, ex eo quod vacuum, ſive nihilum, eſſe non poſſit longum, latum, & profundum, nec ulla eſſe poſſit, nihili extenſio; manifeſtam enim repugnantiam hoc continere; quippe nihili nullas eſſe proprietates, nullas qualitates. En vero inſuperabilis ille obex, cui Deum ipſum cedere neceſſe ſit. Advertiſſet vero Carteſius duplicis eſſe generis

III. *In maximos errores Carteſium impegit ignoratio duplicis* extenſionis; *quarum alia, quæ corporum eſt*, poſitiva *eſt*; *alia, quæ nihili eſt, eſt* negativa.

qualitates, ſive proprietates, *poſitivas* alias, alias *negativas*; nihili proprietates *poſitivas* nullas eſſe, *negativas* multas. Annon enim nobis dicere licet, nihilum immutabile eſſe, immobile eſſe, infectum, incorruptum, æternum eſſe? nihilum nihilo ſimile eſſe? nihilum differre à rebus creatis? nihilum eſſe contrarium enti? ex nihilo orbem à Deo eſſe creatum? cæteraque quæ elegantiſſimo Poëmatio tribuit Nihilo Paſſeratius, vir amœniſſimi ingenii? Atqui hæc immutabilitas, hæc immobilitas, cæteraque quæ nihilo per hujuſmodi locutiones tribuuntur, meræ ſunt negationes, nempe mutabilitatis, mobilitatis, generationis, corruptionis, finis; diſcrepantiæ à nihilo, ſimilitudinis cum rebus creatis, convenientiæ cum *ente*, *exiſtentiæ* rei ullius ante mundi creationem. Similiter cum fingimus in nihilum à Deo redigi vinum quod continetur vaſe aliquo, nullo alio admiſſo corpore in vini locum, dicendum eſt vacuum manere ſpatium, quod à vino occupabatur, ejuſdemque id fore amplitudinis & extenſionis, ac prius erat vinum, meritoque vacuo huic ſpatio extenſionem tribuemus, at *negativam*; nam cum dicam ſpatium illud inane, quod intra vas eſt, eſſe pedis unius quadrati, perinde erit ut ſi dicerem in ſpatio illo pedali nullum eſſe corpus; & pedalis hæc extenſio vacui, ſive nihili, erit negatio corporis in ſpatio pedali. Huc non impegit Plato, Philoſophus Carteſii valde diſſimilis; non enim inane dixit eſſe, ſed quaſi eſſe. Videtis quàm exigui pulveris jactu, maximi motus animorum quieſcant. Dignumne vero erat Philoſopho, tantas res, quantas ex hoc capite fluere oſtendimus, voculæ unius ambiguitate decidere?

IV. Quàm

IV. Quàm frivola eſt autem argumentatio illa Carteſii, qua probare conatus eſt naturam corporis non eſſe in duritie poſitam? Cum manus noſtræ, inquit, moventur in aliquam partem, ſi ab ea parte corpora omnia eadem celeritate recederent, quàm manus noſtræ moventur, duritiem nullam ſentiremus; nec idcirco tamen corpora ita recedentia corporum naturam amitterent. Quo argumento probare quoque poſſim, mala Tantalo impendentia, ſuavia non fuiſſe; quod cum recederent ſimul atque ea hic ore captaret, ſuavitatem eorum degustare non poſſet. Brevius dixiſſet, ſi manus in ſinu contineamus, neutiquam ſenſuras duritiem corporum, ac propterea corporis naturam ex duritie non pendere. Bifariam ſpectatur durities, vel quatenus opponitur mollitudini, vel quatenus ſignificatur ea, quæ à veteribus dicta eſt ἀντιτυπία. Ea autem vis eſt à natura corporibus inſita, qua nullum aliud corpus admittunt intra ſe, ſuamque molem ac ſpatium tuentur; adeo ut ubi corpus eſt aliquod, illic aliud corpus eſſe naturaliter non poſſit. Id autē nihil aliud eſt, quàm quod in ſcholis appellatur, *Impenetrabilitas*. Audiverat Carteſius priſcos quoſdam Philoſophos naturam corporis poſuiſſe in hac ἀντιτυπία quàm ſententiam obtriturum ſe confiſus eſt egregio illo quod attulimus argumento; in quo primum id peccat, quod geminam hanc, quam dixi, duritiem non diſtinguit; deinde, quod ex manuum noſtrarum contactu eſtimandam eam cenſet. Ad utramlibet autem duritiem referatur contactus ille, falſiſſimum id eſſe liquet: nam tegmen ferreum equo & equiti fugienti impoſitum, durum eſſe non deſinit,

IV. *Jocularis error Carteſii de corporum duritie.*

etiamſi eum curſu attingere, & manu contingere fruſtra contendam. At ſive in Mundo ſint hominum manus; ſive non ſint, corpora omnia, etiamſi mollia, aqua, aer, ignis, ſuam duritiem ſive ἀνλιτυπίαν ſemper retinent: & aurum, ſive ſolidum, ſive fuſum, æque tamen impenetrabile eſt. Præclare itaque veteres illi, qui in ἀντιτυπίᾳ constituebant naturam corporis, corpus ita definiebant (1), ὄγκος ἀντίτυπος ὅσον ἐφ' ἑαυτῷ. ideſt, *Moles renitens, quantum in ſe eſt*. Nempe duritiem, ſive ἀντιτυπίαν internam ac naturaliter corporibus inſitam, ex natura ſuapte, non ex aliarum rerum comparatione æſtimari volebant. Quod nec diffitetur Carteſius (2), cum Henrico Moro corpus eſſe definienti rem ſenſilem, reſpondit hac finitione proprietatem aliquam corporis explicari; non naturam integram, quæ extare poteſt, etiamſi nulli ſint homines, nec ab humanis ſenſibus pendet.

V. Mundum autem cum indefinitum eſſe dixit, latebram ſibi paravit in dictionis hujus obſcuritate, ad quam confugeret, cum urgeretur Theologis, quos in ſe concitatum iri præſentiebat. Id vero eſſe vult indefinitum, quod finitum, necne ſit, ignoratur; unde efficitur vocabulo hoc ſignificaſſe Carteſium, cujuſmodi res ſit, ſi ad nostram notitiam referatur; non cujuſmodi ſuapte natura ſit. Quod ſi indefinitum illud eſt; quod ignoratur ſit ne finitum, an infinitum; ignoratur utique, an Mundus finitus ſit, an infini-

(1) *Plutarch. De Placit. Philoſoph. Lib. 1. cap. 12.*
(2) *Carteſ. Epiſt. Tom. 1. Epiſt. 67.*
V. *Parum candide agit Carteſius, cum Mundum eſſe ait indefinitum.*

finitus; ac propterea ignoratur quoque, pluribus Mundis locus ſuperſit, necne. Temere itaque affirmavit Carteſius, quod ignorabat, cum plures Mundos eſſe non poſſe dixit. Porro nihil indefinitum est ſuapte natura: quidquid enim est, vel finitum est, vel infinitum: ſi finitum, corruere omnem ſuam doctrinam de corpore & vacuo, cæteriſque rebus naturalibus fatetur Carteſius; ſi infinitum, frustra effugium quærit in indefinito, & convictus tenetur errorum omnium, quos ex perverſis illis principiis oriri ostendimus. Quid quod & ex iis manifeste ſequitur Mundum eſſe infinitum? nam quid aliud est infinitum quàm quod fine caret, nec ullius clauditur limitibus? Optime & vere Thomas Aquinas (1) *In rebus materialibus aliquid dicitur, infinitum, per privationem formalis terminationis*. At Mundum nullos amplitudinis ſuæ fines habere palam aſſeverat Carteſius; & ſi negaret, ſecum ipſe pugnaret; quippe ſi corporum & materiæ fines ſint aliqui, ultra fines illos nulla materia est, nullum corpus; propertereaque ſpatium illic vacuum est & merum nihil, & plures in eo Mundi locari poſſunt; quæ fieri non poſſe contendit.

CAPUT

(1) *Thom. Summ. Part.* I. *Quæſt.* 86. *art.* 2. *ad* I.

CAPUT SEXTUM.

Expenditur Carteſii ſententia de ortu mundi hujus aſpectabilis.

I. *Exponitur Carteſii ſententia de ortu trium elementorum, ex quibus Mundum hunc aſpectabilem conflatum eſſe docuit*: II. *Et refellitur.*

I. PRoſtratis his commentis, reliquarum Phyſices Carteſianæ partium, quæ his incumbunt, ruinam ſequi neceſſe eſt; ac egregium præſertim hoc inventum, quo Mundi hujus aſpectabilis ortum deſcripſit, ex materia videlicet, ab initio partibus minutis & æqualibus conflata, quarum unaquæque circa centrum ſuum ſigillatim; plures vero conjunctim circa communia quædam centra in morem vorticum volverentur. Ex harum particularum ita commotarum conflictu & attritu deciſa fuiſſe vult ramenta quædam; atque has particulas caſtigatis angulis omnibus, omnique extantia decuſſa, tornata fuiſſe in globulos abraſa vero præſegmina cum agitarentur celerrime, & ad explenda globulorum intervalla aſſidue comminuerentur, ſummam adepta eſſe tenuitatem, ac continuato ſubinde motu tenuiora magis, magiſque eſſe facta, neque ullum eſſe molituræ hujus ac trituræ modum; nec globulos quidem ipſos

I. *Exponitur Carteſii ſententia de ortu trium elementorum, ex quibus Mundum hunc aſpectabilem conflatum eſſe docuit*;

ſos in perpetua hac agitatione adverſus mutuos incurſus molem ſuam integritatemque tueri, ſed comminui in dies; cæterum cum non eadem eſſet ramentorum omnium ſive micarum (uti atomi Epicureæ appellantur à Seneca) ex globulis cadentium ſubtilitas, craſſiora ſimul connexa & implicata varias moles concinnaſſe; tribus porro his elementis omnem aſpectabilis hujus Mundi ortum contineri; ex decuſſis enim particulis, quas materiam ſubtilem, ſive primum elementum appellat, Solem ac ſtellas extitiſſe; cœlum ex globulis, quos ſecundum vocat elementum; ex craſſiorum primi elementi partium complexione, quo tertium conſtat elementum, Terram, Planetas, & Cometas prodiſſe. Hæc, inquam, miracula, non diſſerentis Philoſophi, ſed ſomniantis; non docentis, ſed optantis, unice, incumbunt Carteſiano decreto de plenitudine rerum, quæ nullam admittat vacuitatem. Nam ſi ſpatium ullum poſſet eſſe vacuum; nihil attineret confingere immenſam illam primi elementi tenuitatem ad explenda intervalla globulorum, perpetuamque illam trituram, nullis unquam, neque tenuitatis, neque temporis finibus terminandam. Atque hanc ſe habuiſſe cauſſam iſtorum comminiſcendi fatetur Carteſius; quod vacuum eſſe quidquam repugnet.

II. Verum cum vanum eſſe demonſtraverim argumentum, quo impulſus aſſeveravit Carteſius nihil eſſe poſſe vacuum, frivolam quoque eſſe conſectarium eſt, & abſonam, quàm inde commentus eſt, rerum progenerationem. Sed & aliis inſuper, ac graviſſimis laborat incommodis imaginarius

II. *Et refellitur.*

rius ille trium elementorum ortus. Taceo vulgatum illud, cui numquam ſatis ſolide occurſum eſt à Carteſianis; quod ex perpetua corpuſculorum concurſione, & ramentorum decuſſu, augeri in dies neceſſe ſit primum elementum, minui vero tandemque deleri ſecundum. Quibus par quippiam in ſuprema rerum conflagratione eventurum docebant Stoici; futurum videlicet, ut Sol Lunam, cæteraque aſtra, ſibi ſimilia efficiat, in ſeque convertat. Nam quod reſpondet Carteſius, ex primo elemento gigni tertium, atque ita actum primi elementi coerceri minime, id quidem ſecundi interitum ſiſtit: niſi rurſum ex primo & tertio renaſci dicat ſecundum; quod nec dixiſſe tamen uſquam Carteſium reperio; & ſi dicere audeat ullus Carteſianorum, riſum tollent coronæ Philoſophorum; perinde enim id erit, ut ſi ex ſcobe dicat ſcobinam fieri. Deinde cum negaverit Carteſius (1) coagmentationem ramentorum primi elementi, unde oritur tertium; vel ullum denique corpus, aſſequi poſſe ſoliditatem globulorum ſecundi elementi, manifeſtum eſt tertium elementum in ſecundi naturam non poſſe traduci. Quod longe minus dici poteſt de primo elemento: cum ex continua tritura tam ſubtile, tamque fluidum evaſerit, & in dies evadere pergat, ut longe deſciſcat à ſoliditate ſecundi; etſi quid in eo firmum, ſolidumque ſit, ſtatim tranſeat in tertium. Taceo & mirificam illam ſubtilitatem primi elementi, quod ad ſingulos corporum motus friari neceſſe eſt in partes infinitas, ut ad omnes corporum anfractus,

(1) *Carteſ. Princip. Part. 3. §. 113. Part. 3.* §. 8.

ctus, anguſtias, & flexus celeriter fragmenta ſua accommodet: quod eſt hujusmodi ut à mente noſtra percipi non poſſe fateatur. Carteſius, ſed pro certo tamen haberi jubeat, ut pote ex ſuis principiis aperte deductum: cum potius principia hæc retractare debuiſset & revocare in dubium, utpote ex quibus id ſequeretur, quod animo comprehendi non poſſet: præſertim cum cavendum ſæpe ſanxiſſet, ne iis præberetur aſſenſus, quorum clara & diſtincta non haberetur perceptio. Taceo hæc, inquam: in hoc conquieſcam argumento, quod ſolerter excogitavit acutiſſimus Anglus, Henricus Morus, quem malleum Carteſianorum merito appelles: ad id enim, velut ad fatalem quemdam ſcopulum, alliſa hæc trium elementorum compages; totiusque aſpectabilis orbis coagmentatio, diſturbatur prorſus & concidit. Ponamus, inquit (1) particulas illas minutas & æquales, quibus primo conſtitiſſe univerſitatem rerum finxit Carteſius, fuiſſe quadrantalia ſive cubos, qui & ad figuram globoſam accedunt, & omnem vacuitatem poſſunt explere; ſi ex eorum agitatione, deciſis undique extantibus angulis fiant globi, fragmentorum illorum omnium copia eam habebit ad globulos omnes rationem, quàm decem ad undecim; cum cubus ad globum inſcriptum eam habeat rationem quàm unum & viginti ad undecim. Jam ſi temporis progreſſu, & motus continuatione major ſegminum copia in dies ex globulis delibetur, brevi ita augebitur, ut jam omnem globulorum molem æquet. His poſitis, ſi media pars ramentorum ſive materiæ

(1) *Henr. Mor. Enchir. Metaphyſ. cap.* 16.

riæ ſubtilis explendis globulorum ſive ſecundi elementi intervallis delegetur, altera pars ſupererit, unde Solis globus conficietur. Ergo cum globuli, ſive ſecundum elementum, & ex iis decuſſa ramenta omnem vorticis hujus Solaris, in quo ſumus, univerſitatem ex æquo expleant, Sol vero dimidium habeat ramentorum illorum; quartam partem vorticis hujus obtinebit Sol, eamque ad illum habebit rationem, quam unum ad quatuor; ac propterea Solis diametros major erit reliqua parte diametri vorticis. Hoc ſi ſit, Terra, cæterique adeo Planetæ, Solis globo erunt immerſi. Hæc tam firmis nituntur rationibus, ut omnem exceptionis anſam præcidant, & commentitiam hanc trium elementorum, ac univerſi orbis conſtructionem, quam non immerito *Fabulam Mundi ſui* appellat alicubi Carteſius (1), funditus peſſumdent. Scio equidem excogitari poſſe corpora alterius figuræ, quæ propius accedat ad globoſam, quàm quadrantalem, & omnem vacuitatem poſſit explere, puta Priſma ſexangulum, cujus altitudo ſit æqualis diagonali lineæ baſis ſexangulæ; ac minus propterea ex iis detritum iri ramentorum, ut in globos rotundentur. Vel ita tamen ea prodibit inde materiæ ſubtilis copia, ut Solem ex ea naſci neceſſe ſit, cujus dimidia Diametros, ſive radius ſuperaret Solis & Terræ diſtantiam.

CA-

(1) *Carteſ. Epiſt.* **Tom.2. Epiſt.**103.

CAPUT SEPTIMUM.

Expenditur Carteſii ſententia de cauſſa gravitatis corporum terreſtrium.

I. *Exponitur Carteſii ſententia de cauſſa gravitatis corporum terreſtrium.* II. *Et refellitur.*

I. Nihilo felicior fuit Carteſius in aſſignanda cauſſa gravitatis corporum terreſtrium, quam confert in motum globulorum ſecundi elementi; qui cum à vortice, in quo ſunt, circumagantur in orbem, motu hoc tendere illos neceſſe eſſe ait ad extimum vorticis ambitum ſecundum lineas rectas; atque idcirco ſi quæ terreſtria corpora occurrant, cum tanta in iis non inſit ad fugiendum centrum & extima petenda propenſio, de loco ſuo decedunt, urgentibus globulis, & ab his ad alta contendentibus retruduntur ad inferiora; atque eo magis, quo plus habent materiæ terreſtris, minuſque cœleſtis. Id ut commodius explicet, utitur exemplo ingentis alicujus vaſis aqua pleni; quæ aqua ſi in orbem vertatur, & minutæ aliquæ injiciantur ligni particulæ, confluent illæ ſtatim ad centrum, & ſuſpenſæ in medio aquæ vortice natabunt, uti medium vorticis ſui innat terra.

II. Hæc quantumvis belle & ad ſpeciem ve-

I. *Exponitur Carteſii ſententia de cauſſa gravitatis corporum terreſtrium.*
II. *Et refellitur.*

veritatis compoſita, fidem tamen non obtinebunt à cordatis Philoſophis, ſi obſervaverint aquam hanc in vaſe circumactam, ferri circa axem motus hujus, & injectas in eam particulas ad axem illum tendere, & quidem unamquamque particulam ad id axis punctum, in quo ſecatur axis ab area plana vertiginis particulæ hujus: non vero tendere ad centrum vaſis. Nam ſi aquâ impleatur vas aliquod in cylindri formam excavatum, & aqua in orbem agatur, tum in eam injiciantur particulæ aliquæ ligneæ & lapideæ; conſpicientur illico particulæ ligneæ ad ſupremam axis partem confluere, lapideæ ad infimam; neutræ vero ferri ad centrum cylindri. Nempe ſingulæ petent centrum areæ planæ in qua moventur; ac proinde cum in ſuprema parte aquæ ligna, in inferiores lapides circumagantur, centra utriuſque vertiginis in variis erunt axis partibus, in iis nempe punctis, in quibus areæ vertiginis utriuſque axem ſecabunt. Hinc ſequitur, corpora terreſtria à globulis materiæ cœleſtis depreſſum iri, non verſus terræ centrum, ſed verſa centra vertiginum ſuarum; nempe unumquodque verſus centrum vertiginis globulorum à quibus deprimitur; hoc eſt, verſus punctum illud axis terræ in quo ſecatur axis ab area vertiginis hujus: unde fiet, ut ea ſola corpora terreſtria quæ ſunt ſub Æquinoctiali, cadant in terràm ad perpendiculum, ſive ad rectos angulos; reliqua vero ferantur quidem ad perpendiculum verſus axem terræ, at oblique verſus terræ ſuperficiem; & obliquius, quo obliquior erit illis ſphæra & ſub Polis denique corpora in terram omnino non cadant. Quæ cum falſa eſſe experientia teſtis nos quibus Sphæra obliqua eſt doceat, & cor-

& corpora omnia terreſtria, in quacunque Sphæræ poſitura ſita ſint, ferantur in terram ad perpendiculum, ac centrum propterea terræ manifeſto petant, cauſſam gravitatis terræ, quam attulit Carteſius, plane falſam eſſe dicendum eſt. Inde adeo Anaximander, & Leucippus Eleates, qui ex hujuſmodi vertigine concretam eſſe terram crediderunt, non globoſam illam, ſed τυμπανοειδῆ, ſive cylindraceam eſſe dixerunt: terramque ipſam veteres Cylindri figura adumbrarunt, ut à Porphyrio (1) traditum extat. Plura perſequerer; ſed facile intelligitur quam promptus eis in minutis & conſectariis fuerit lapſus, qui in præcipuis tam ſæpe corruit.

(1) *Porphyr. apud Euſeb. Præp. lib.3. cap.7.*

CAPUT OCTAVUM.

Expenditur generatim Carteſiana Philoſophia.

I. *Laus Carteſianæ Philoſophiæ*. II. *Cur tantum ætati huic placuit*. III. *Notantur Carteſianæ Philoſophiæ labes*. 1. *Inconſtans eſt*. 2. *Figmentis nititur*. 3. *Effectibus cauſſas non neceſſarias, cauſſis effectus non neceſſario aſſignat*. 4. *Officit Fidei*. 5. *Vitioſa utitur ratione philoſophandi*. IV. *Carteſii virtutes*. V. *Cenſorium judicium de Carteſii ſcriptionibus*. VI. *Carteſii vitia*. VII. *Inſigne hoc Carteſii vitium, quod novitatis nimium fuit ſtudioſus; ac propterea ſimulate affectavit inſcitiam, quam ejus aſſeclæ vere retinuerunt*. VIII. *Etſi nihil fere attulit novi*. IX. *Laus Ariſtotelis*. X. *Vulgares ſunt Carteſianæ Moralis regulæ Epilogus*.

I. Nunc ergo novitiæ hujus Philoſophiæ naturam circumſpiciamus atque indolem. Fronte quidem ipſa eximiam de ſe ſpem facit: præclaros habet ad veritatem aditus; radices errorum, anteceptas videlicet opiniones evellit; & velut in purgato ad ædificandum ſolo, in confeſſis & omnium aſſenſu comprobatis principiis fundamenta locat. Principia hæc pauca, clara, ſimplicia. Depromtus dehinc ex iis ſpecioſus ille doctrinæ contextus. Preſſa & compacta rerum inter ſe aptarum & cohærentium commiſſura. Ad naturæ leges, ad experientiæ magiſtræ teſtificationem, ad normam machinalis ſcientiæ, ſi factionis hu-

I. *Laus Carteſianæ Philoſophiæ*.

hujus patronis credimus ; exacta accurate omnia. Magna ubique ſimilitudo veri. Nihil intricatum, nihil obſcurum, nihil ſuperfluum. Dilucida paſſim, & plane philoſopha brevitas.

II. Quamobrem minime miror diſciplinam hanc tantis plauſibus, tanta approbatione vulgo fuiſſe exceptam; ab iis præſertim, qui olim in Scholis, dum pueri eſſent, Peripateticis velitationibus utcunque exercitati, at reliquæ omnis priſcæ Philoſophiæ, veterumque ſectarum plane inſcii delectati ſunt hac novitate doctrinæ; non ſenticoſæ, non hiſpidæ, non perplexæ: & quam Ariſtotelica parum ſibi perſpecta probabiliorem & ſimiliorem veri judicabant, cæteris quoque diſciplinis, quas Ariſtotelica etiam putabant eſſe inferiores, anteponere non dubitarunt. Poſtquam enim Arabes, florentibus olim rebus ſuis, cum extinsta per orbem prope jacerent bonarum literarum ſtudia, aliquos Ariſtotelis codices nacti, in ſuam converterunt linguam, & ut omnis Philoſophiæ ignari adhuc erant, traditam his libris doctrinam avide arripuerunt, & per totum porro Occidentem diſſeminarunt; ita primum noſtris hominibus placita eſt Peripatetica hæc doctrina, ut non alia deinceps imbui ſe paſſi ſint ad hanc ætatem. Sed lapſu demum temporis, uti fit, ſectæ hujus tricas pertæſi, ad eamque quaſi nauſeantes, quæ primæ in hoc faſtidio objectæ ſunt ipſis offæ Carteſii, tam jucunde ipſis ſapere viſæ ſunt, ut iis ſeſe ingurgitaverint largiter, omnemque aliam ingenii paſſionem reſpuerint. Hos alii, nihil niſi alienis oculis ſpectare ſo-

II. *Cur tantum ætati huic placuit.*

ſoliti, pecudum ritu ſecuti ſunt. Quidam acutiores, at parum candidi partium, ſtudio ducti, Carteſianos ſe profeſſi ſunt; non quod doctrinam hanc probarent, ſed quod eam probare videri, conducibile ſibi putarent. At ſagacioribus viris, & longo Philoſophiæ uſu ſubactis; & animum ab aſſenſionum temeritate cohibentibus, non minores ſectæ hujus, quàm cæterarum, ac fortaſſe majores etiam labes deprehenſæ ſunt, totaque vacillare ac infirmis niti radicibus viſa eſt.

§ III. 1. Agnoviſtis enim neutiquam obſecutum eſſe Carteſium poſitis à ſe philoſophandi legibus, & à tradito in exorſu dubitandi præcepto ſtatim diſceſſiſſe, plurimaque admiſiſſe, non dubitatione ſolum, ſed repudiatione etiam digna. Quaſi cunctatione hac præmuniret confidentiam ſuam; ac diſcipulos ſuos de cæterorum Philoſophorum opinionibus dubitare, ſoli ſibi ſine dubitatione aſſentiri vellet. Ex hac porro principiorum inconſtantia magnam doctrinæ totius mutabilitatem conſequi neceſſe fuit. Quædam enim probabilia juxta poſitam ab eo dubitandi legem rejecta videas: quædam valde incerta, quaſi pro imperio dictata & ſancita. Plurima hujuſmodi audiſtis ex me, & jam ab aliis notata ſunt. Atque hoc ſane primum doctrinæ hujus vitium eſt.

2. Alterum hoc, quod ex male perſpecta mentis humanæ natura, figmentis ejus ſolidi aliquid ſubeſſe cenſuit, iiſque tanquam certiſſimo inſtrumento uſus eſt ad ſolvendas

III. *Notantur Carteſianæ Philoſophiæ labes.*
(1) *Inconſtans eſt.*
(2) *Figmentis nititur.*

vendas difficillimas Philoſophiæ quæſtiones; ut ſi quis ex motu nubium curſus cœli aſtrorumque metari velit. Hinc factum ut aberraret, cum in multis aliis, tum maxime in inquiſitione Criterii (qua norma qui caret, fruſtra is aſpirat ad cognitionem veritatis) & in demonſtranda *exiſtentia* Dei, unde opinionibus ſuis pleriſque fidem facere conatus eſt. Atque univerſam hanc Philoſophiam labes hæc pervagatur; ut ſi fanaticam dicas, non valde alieno eam nomine ſignes.

3. Minime vero probare poſſum, quod cauſſas naturales inveſtigans, in iis acquieſcit, unde res oriri potuiſſe fingit; cum has ſolum admittere debuerit, unde res neceſſario ortæ ſunt. Nam ſi vel aliam cauſſam habere poteſt hic effectus, vel alium effectum habere poteſt cauſſa iſthæc, hunc ex illa arceſſere, divinare eſt. Nihil quippe in natura fit fortuito: ſed quotieſcunque concurrunt cauſſæ omnes ad efficiendum aliquid neceſſariæ, non poteſt id non effici. Quicunque igitur effectus ex cauſis aliquibus oriri poteſt, ex iis neceſſario oritur; & ex quibus poteſt oriri, ex iis neceſſarium eſt non oriri. Geminas vero rei ejuſdem aut incertas cauſſas proponere, id omnino eſt micare in tenebris. Præclare Sextus Empiricus (1): ſi ex eo ſolum, inquit, quod verum eſt, oriretur verum, veritate effectuum cognita cauſſarum quoque unde oriuntur conſtans eſſet veritas: at cum ex falſo, perinde ut ex vero, oriatur verum, etiamſi veri ſint effectus, ne-

3. *Effectibus cauſſas non neceſſarias, cauſſis effectus non neceſſarios aſſignat.*

(1) *Sext. Empir. adv. Mathem. libr. 7.*

ceſſe non eſt veras eſſe cauſſas, unde arceſſuntur. Hoc eſt, cum unius effectus plures proponuntur vel proponi poſſunt cauſſæ, plures falſas eſſe neceſſe eſt, cum unica tantum vera ſit. Hinc æſtimare licet totum illud textum Phyſicæ Carteſianæ; etiamſi enim concederemus ex iis quæ poſuit principiis res omnes corporeas, mundumque univerſum naſci potuiſſe, quod falſum tamen eſſe ſatis probavimus, non inde ſequeretur mundum ex his principiis natum eſſe. Imo vero ex cauſſis plane diverſis naſci potuiſſe non diffitetur Carteſius: nam ex Chao ipſo eumdem rerum ordinem per leges naturæ deduci poſſe ait, atque eum qui nunc eſt, idque olim ſe ſuſcepiſſe explicandum. Quam ineptus vero ille ſit & ridiculus, qui ſedens ad Lutetiæ portam, profiteatur ſe dicturum unde viatores omnes illuc adventantes ſint profecti, & hunc Lugduno, illum Divione dicat eſſe profectum; quia hic Lugduno, ille Divione proficiſci potuit? Ut autem ex aliis cauſſis Mundus hic noſter naſci potuit, ita ex iiſdem cauſſis, quas finxit Carteſius, naſci potuit Mundus alter ab hoc noſtro plane diverſus. Quid veri autem, quid commodi, percipi poteſt ex hujuſmodi commento, in quo incertæ ſunt cauſſæ & incerti effectus? At, inquiunt, ſi minus id certum & utile, at laudabile profecto eſt, & ab Ariſtotele, & Epicuro, & aliis probatum & factitatum: præſertim ſi ad pauca principia & valde ſimplicia tanta effectuum varietas reducatur, quod à Carteſio præſtitum eſt. Magnum profecto id videtur, & vulgo placuiſſe minime miror: verum ſi attentius ſpectemus principia Carteſi, quam ſpecie ſimplicia, tam multiplicia effectu comperiemus. Nam con-

tinua

tinua illa tritura partium, quæ quantumvis comminutæ magis magisque tenuari, ac propterea novas ſemper figuras induere poſſunt, ingens illa primi elementi ſubtilitas & mobilitas, variæ illæ tertii elementi coagmentationes & moles, tum & corpuſculorum terreſtrium varietas, feraciſſima ſeges eſt ad quidvis comminiſcendum: ut Carteſio tam facile fuerit imaginarium quemcunque Mundum inde procudere, quàm huncce noſtrum. Id autem Ariſtoteli aut Epicuro nequaquam poſſis objicere: nam cum hic certas figuras & immutabiles, certumque figurarum numerum individuis ſuis corpuſculis adſcripſerit; ille vero ad certas formas & definitas retulerit rerum omnium ortum atque ſtatum, certi inde effectus & definiti jure elici potuerunt. Quæſiveris à Carteſio, quî factum ſit, ut Saturni orbem Annulus ingens orbiculato circumjectu, nuſquam cohærente, amplectatur, cauſſas illico ex immenſo ſuo cauſſarum penu tam inuſitati effectus depromet. At cauſſæ illæ erunt hujuſmodi, ut ex iis Annulos ita circa reliquos Planetas, ipſamque terram, pari modo, parique jure architectari poſſis. Scitum vero eſt Philoſophorum, quæ nimia probant, nihil probare. Atqui ſi ea poſuiſſet principia, ex quibus Saturnum Annulo circumdatum eſſe collegiſſet, antequam id pro ſingulari ſua ſolertia deprehendiſſet Hugenius, ea demum magnam veri ſimilitudinem præ ſe ferrent. Tantum autem abeſt, ut ex principiis ſuis hunc Annulum cognoverit, ut eum duos eſſe planetas cum vulgo crediderit; cauſſaſque attuliſſe ſe veriſſimas arbitratus ſit, cur imaginarii hi Planetæ circa Saturnum tardiſſime moverentur. O egregium Philoſophum, qui ex iiſdem principiis

 piis

piis veri atque falſi cauſſas depromit; qui ad omnia abutitur figmentorum ſuorum licentia, & infinita materiæ mutabilitate & concretione, ex eaque efficit quodcumque in ſolum venit; nec tam in confingendis & contexendis rerum cauſſis quid verum, quam quid cauſſæ ſuæ ſit commodum ſpectat. Et quod miremur, poſtquam res Carteſio bellæ viſæ ſunt procedere, qui origines illas primo commentitias, ſicuti erant, haberi juſſerat, progreſſu rerum factus audacior, eas jam pro veris haberi, nec minus iis fidei quam Geometrarum Epicherematis tribui vult, & nullum alium earum explicandi modum poſſe reperiri.

4. At capitale hoc eſt, quod à pleriſque Chriſtianæ Religionis decretis aliena eſt hæc Philoſophia, etſi magnum præ ſe fert ſtudium pietatis. Propoſitis enim à Deo ad credendum dogmatis mentem, uti debuit, decrevit eſſe ſubmittendam. Verum vir ille modeſtus atque pius ſanctam hanc legem nefariis adſtrinxit conditionibus, & opinionum ſuarum veritatem, cum veritate dogmatum Fidei auſus eſt componere, & utraque aſſeveravit neceſſario inter ſe convenire, tamque certa eſſe atque perſpicua quæ in Philoſophia à ſe diſputata ſunt, ut Theologiæ contraria eſſe non poſſint; niſi Theologia rationis lumini repugnet; cumque veritas veritati non poſſit eſſe adverſaria, impiũ fore quiſquis vereatur ne Philoſophiæ ſuæ dogmata à dogmatis Fidei diſſentiant. Immanem ſcilicet impietatem, puram & ſanctam Carteſii doctrinam vel levi ſuſpicione violaſſe. Quaſi par ſit opinionum ipſius, & decretorum Fidei veritas; tam-

4. *Officit Fidei.*

tamque hæc ad illa liceat exigere, quàm illas ex his ſpectare: quaſi & par ſit pietas aſſentiri utriſque, par impietas diſſentire. In quo tam perverſe ratiocinatur, tam inepte ſe amat, tam arroganter de rationis ſuæ figmentis, tam demiſſe contra de Fidei decretis ſentit, ut idcirco quod opiniones ſuas certas eſſe putet, inde ſine dubio colligat Fidei non repugnare; cum contra idcirco quod Fidei repugnent, falſas eſſe colligere debuerit. Ergo cum pleraque rationi adverſari docuiſſet, ſecumque pugnare, quæ tamen definiat Fides eſſe veriſſima; atque his commentis imminutam videret à ſe Dei potentiam, ſatis tamen divinæ Majeſtatis integritati conſuluiſſe ſe ratus eſt, ſi diceret Deum ea etiam facere poſſe, quæ fieri non poſſe, ſecumque ipſa pugnare ratio judicaſſet; quippe non ex natura ſua, ſed ex Dei voluntate pugnare. Quanto ſatius fuiſſet dicere, cum Fides doceat Mundum eſſe à Deo ex nihilo conditum, verum eſſe ex nihilo aliquid fieri poſſe, neque id ſecum pugnare? Ita rationem, uti decebat, exegiſſet ad regulam Fidei; non Fidem rationis ſuæ immoderatione læſiſſet: ita Dei potentiam, ad ea non pertinentem quæ natura ſua pugnant, falſæ ſuæ rationi nimium obſecutus æquo ſtrictius non accidiſſet & coarctaſſet; iis concluſis in numerum rerum natura ſua repugnantium, quæ nullo modo repugnant: neque rurſum, quaſi rationis pravitatem alia pravitate emendaturus, eamdem Dei potentiam, præter legitimæ rectæque rationis metas produxiſſet. Deum enim ea etiam putat poſſe efficere, quæ rationi adverſantur: velut ut bis bina non ſint quatuor, & ut tres anguli unius trianguli non ſint æquales duobus rectis. Vere

enim pieque dici poteſt myſteria Fidei ſuperare captum humanæ mentis; non item, rationi repugnare. Etſi hoc ipſum dicere viſi ſunt Patres nonnulli, Ambroſius puta & Auguſtinus: qui ſi recte intelligantur, hoc tantum ſenſiſſe eos videas, Deum res aliquas facere poſſe præter ordinem vimque naturæ, quæ mens humana non capiat, & miretur. Quo ſenſu Scriptores ſacri dixerunt (1), *Non eſſe impoſſibile apud Deum omne verbum*; res nempe eas, quæ natura non patitur, neque fert humana potentia, juxta iſtud (2): *Quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum*. Minime autem pertinet potentia iſta Dei ad eas res, quæ ſecum ipſæ & cum ratione pugnant: *Nihil unquam*, inquit Carteſius (3), *à Deo fieri non poſſe judicavi, niſi propter hoc quod illud à me diſtincte percipi repugnabat*. En certam & inconcuſſam normam veritatis & Fidei, mentem Carteſii. Nec jam quæro quam belle iſta conſentiant cum ejuſdem ſententia de mutabilitate veritatis axiomatum & eſſentiarum, quam ex Dei arbitrio pendere vult. Nam ſi Deus efficere poteſt, ut totum non ſit majus ſua parte, vel ut bis bina non ſint quatuor; hæc utique diſtincte percipit Carteſius; vel ſi iſta diſtincte non percipit, à Deo neutiquam fieri poſſunt. At longe aliter Lateranenſis Synodus (4): *Cum verum vero minime contradicat, omnem aſſertionem veritati illuminatæ Fidei contrariam, omnino falſam definimus*. Ex hoc principio, Verum vero adverſari non poſſe, merito col-

(1) *Luc.* 1. 17.
(2) *Luc.* 18. 27.
(3) *Carteſ. Medit.* 6.
(4) *Synod. Later. ſeſſ.* 8.

colligit Synodus, falſum eſſe quidquid ratio Fidei contrarium proferat: contra vero Carteſius colligit ex eodem principio, Fidei contrarium eſſe non poſſe quod ratio ſua probavit, ut pote quod verum ſit. At res ipſa Carteſium coarguit: nam rationi ſuæ morigeratus credidit tam verum eſſe ex nihilo nihil fieri poſſe, quam verum eſt totum eſſe majus ſua parte: quod cum Fidei repugnet, falſum eſſe jure colligitur, juxta Synodi præſcriptum: cum Carteſius contra, propterea quod verum id eſſe temere credidit, Fidei non repugnare falſo quoque crediderit. Nec dictatore ſuo modeſtiores fuerunt Carteſiani; qui cum ſoli legitimum rationis uſum ad veri perceptionem reperiſſe ſibi viſi ſint, nihilo eam Fide inferiorem poſuerunt. Nam præter Henricum Regium, quidam, quorum libri verſantur omnium manibus, eo proceſſerunt audaciæ, ut conceptis verbis pronuntiaſſe non dubitaverint, animum *æque ſubmittendum eſſe fidei & evidentiæ*; tam validis argumentis oppugnari poſſe Fidei Chriſtianæ decreta, & Trinitatis præcipue myſterium, ut ſalva ratione ſolvi non poſſint; Libros ſacros, non hujus temporis Theologis, ſed Judæis fuiſſe ſcriptos: quo quid impium magis dici poteſt? id enim ſi admittimus, exolevit omnis ſanctorum Voluminum auctoritas, nec jam iis continetur doctrinæ & morum regula (1), nec ea *ſcripta ſunt ad correptionem noſtram, in quos fines ſeculorum devenerunt*. Paſſim iidem res Fidei expendunt ad libram rationis, & in cauſſas decretorum Dei inquirunt. Alii ex eodem grege aſſeverant, quidquid de infe-

(1) I. *Cor.* 10. 11.

rorum ſuppliciis, ignibus, tenebris Chriſtus ad plebem diſſeruit, figuras fuiſſe ſermonis, ad incutiendum horrorem compoſitas, & ex iis rebus petitas, quæ valde formidoloſæ eſſent. Temerarios appellant, qui ſcire volunt, poſſitne Deus rem quampiam in nihilum redigere; ſimplices, qui ad Dei providentiam & gratiam res naturales referunt. Nonnulli etiam ex iiſdem congerronibus Carteſii, nihil uſi circuitione, aperte dixerunt Fidei decreta, per aliam viam quam per veriſimilitudinem ad nos non pervenire. Et fuit in his qui ſcriberet, ideam materiæ à creatione non pendere, & nihil creari poſſe. En quo ratio Fidei legibus ſoluta, ſuæque cæcitatis immemor, infelices Philoſophos perduxit; ac eos præcipue, qui confidenter & temere rebus aſſenſum ſuum & aſſeverationem præſtant: longe minus enim ab iis periculum eſt, qui aſſenſiones prudenter cohiberi volunt. Manavit ex eodem temeritatis fonte, quod alicubi excidit Carteſio, lædi dignitatem Fidei, ſi confirmandis ejus decretis, quæ *argumentis naturalibus demonſtrari* non poſſint, *probabilia* tantum & *humana* adhibeantur. In quo ſibi palam blanditur homo nimium amator ſui: nam quæ ab ipſo allata ſunt ad probandam *exiſtentiam* Dei, & diſtinctionem corporis & animæ, pro *demonſtrationibus naturalibus* haberi vult, cætera aſpernatur. Quaſi hæc ipſius argumenta, quæ *naturalia* appellat, certiora ſint *probabilibus & humanis argumentis*: quaſi valde incerta non ſint: quaſi non ſint manifeſto falſa. Porro ſi *argumentis probabilibus & humanis* læditur Fides, noxia quoque eis eſt omnis fere rationis ſuffragatio. Noxiæ ergo ſunt ſimilitudines, noxiæ comparationes, noxiæ rationes ad removenda im-

impedimenda Fidei uſurpari ſolitæ, noxia *motiva credibilitatis*, quibus referri ſunt Patrum libri, quibus circumſonant Theologorum Scholæ, & ſuggeſta Concionatorum. At Fides, etſi cum iis orbata eſt, retinet naturam, integritatemque ſuam, magno tamen caret decore & præſidio: ut ſi à Rege ſatellites comitatumque removeris, non detraxeris regium jus atque nomen, magnum tamen regiæ majeſtatis ornamentum ſubſidiumque abſtuleris. Nihilo magis ferri id poteſt quod diſſeruit Carteſius (1) ſuper illo præcepto Chriſti, quo jubemur beneficia malefactis rependere; cauſſam nempe præcepti illius hanc eſſe, ut natura hominum in vindictam prona, dum in contrariam trahitur partem, facilius ad æquanimitatem, & bonitatem flectatur; quemadmodum incurvum bacillum ſi quis velit corrigere, in oppoſitam partem contorquet. Quaſi bonitas illa & beneficentia in maleficos & inimicos, non per ſe & propter ſe expetenda ſit, ſed tantum ne in exigenda vindicta juſtitiæ modum transgrediamur: cum nobiliorem ſanctioremque præcepti cauſſam propoſuerit Chriſtus (2): *Ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.*

Præterea mentem ſenſim ad impietatem inclinat machinalis hæc Philoſophia, quam propterea erudito opere acute nuper & ſubtiliter oppugnavit Parkerus. Quamvis enim utilis ſit ad explicandas rerum corporearum cauſſas, ac in multis quoque veriſimilis, certis tamen finibus coërcenda eſt.

G 5 Quod

(1) *Carteſ. Epiſt. Tom.2. Epiſt.105.*
(2) *Matth.5. 45. 48. Luc.6. 35.*

Quod cum facere neſciverint Carteſii pediſequi, eo tandem progreſſi ſunt, ut res etiam materiæ & corporis expertes, velut peccatum & gratiam Dei, ad machinales leges revocare auderent: quæ manifeſta eſt & exitialis ſinceræ Religionis corruptela. Merito ſane Porphirium caſtigavit Jamblichus (1) ille, quem Proclus divinum, ducemque ſuum appellat, quod omnia Ægyptiorum placita ad naturæ leges exigeret; cum ſublimiores ſint cauſſæ, & plura principia rerum, quàm naturalia. Nec id leve eſt, quod fines molitionis rerum Carteſius vetat inquiri: id enim niſi rite fiat, certis Philoſophia niti non poterit veſtigiis, nec tuta via ad veritatem graſſari, ſed incerta vagabitur. Ut enim ſi quis arborem humi afflictam videat, & ex materiario ſciat cæſam fuiſſe ad conſtruendam domum, certius conjiciet quas in partes deinceps ſecanda ſit, quæ ipſi tribuenda figura, quæ politio, quibus inſtrumentis; quam ſi ignoret penitus, quo caſu ſit dejecta, & an lintri vel currui compingendo, an igni deſtinata ſit: ita qui ſciet, Mundum à Deo ante annos aliquot, ad gloriam ipſius, ex nihilo eſſe conditum; univerſum ab eo, & ſingulas illius partes regi; deſiturum aliquando; hominem in eo poſitum hac fine, ut Deum agnoſcat, amet, & tàm eximii operis admiratione excitatus, totum ſe ad ejus cultum convertat; tum ſane longe certiora de Mundi origine, fabrica, regimine, interitu cognoverit; quam ſi divinæ & humanæ conditionis neſcius, nec aliis ſubſidiis, quàm ingenii ſui tenuitate ſubnixus, tantarum, tamque abſtruſarum re-

(1) *Jamblich. De myſt. Ægypt. ſect. 8. cap. 5.*

rerum principia, uſus, & diuturnitatem proprio marte confingat. Hic enim, *cum cognoverit Deum, non ſicut Deum glorificat, aut gratias agit, ſed evaneſcit in cogitationibus ſuis, & obſcuratur inſipiens cor ejus*; juxta denunciationem Apoſtoli (1). Veriſſime quippe dictum eſt à Proclo (2), *Qui ignorat cauſſam finalem, eum ignorare omnem cauſſam*. Meritoque Anaxagoram reprehendit Plato, quod nimis addictus rimandis naturalibus cauſis, corporumque affectionibus conſectandis, præſtantiſſimas omnium cauſſas, *propter quid*, & *à quo*, hoc eſt, ut Dialectici loquuntur, *finalem*, & *efficientem*, quæ potiora principia ſunt, omiſerit. Hæc Plutarchus (3), à quo præclare admodum atque vere notatum eſt, cum rerum omnium ortus duæ ſint cauſæ, ſuprema videlicet, quæ Deus eſt; proxima, quæ natura; antiquos Theologiæ Græcanicæ doctores & Poëtas primam eamque nobiliſſimam, agnoviſſe & celebraſſe; poſtremam ignoraſſe: Phyſicos contra, qui primi in eadem gente fuerũt repertores Philoſophiæ, diverſo à primis illis inſtituto in una natura hæſiſſe, & in corporum motibus, plagis, mutationibus, mixtionibus, & affectionibus, rerum omnium cauſſam poſuiſſe; atque ita imperfectam fuiſſe utrorumque rationem, cum Phyſici cauſſam *efficientem* & *finalem* prætermiſerint, Theologi *materialem* & *formalem*; unum hunc egregie eſſe philoſophatum, qui & has & illas cauſſas complexus ſit. Ea nunc prætereo, quæ ſupra jam attigi, quod totam hominis naturam in eo poſue-

(1) *Rom*.10. 21.
(2) *Procl. in Alcibiad*.1.
(3) *Plutarch. De oracul. defect.*

rit Carteſius quod cogitat ; quod per doctrinam ejus de corpore & vacuo violatur Sacroſanctum EUCHARISTIÆ Sacramentum ; quod tam in arctum cogatur Dei potentia, ut nullum omnino corpus poſſit, vel creatum redigere in nihilum, vel ex nihilo creare ; vel efficere ut corpus aliud ab alio penetretur ; & quod materia denique æqualis Deo, ſuique juris, ac Mundus infinitus eſſe fingatur.

5. Ac tam abſurdis commentis uti fidem quærant factionis hujus participes, adverſarius ſibi ſententias, *Præjudiciorum*, hoc eſt, anteceptarum temere ac ſine ratione opinionum titulo infamare ſolent ; tum præſertim cum rationibus carent ipſi & argumentis. *Præjudicium* eſt, inquiunt, credere in beſtiis ineſſe facultatem cognoſcendi, & aliud quidquam eſſe eas, quam automata. *Præjudicium* eſt ab infantia ſuſceptum, credere vas à Deo vacefieri poſſe, nullo alio corpore ſuccedente. *Præjudicium* eſt, credere infantes matrum uteris incluſos nihil cogitare. Ita adverſus *Præjudicia* pugnant Paradoxis ; quibus non exquiſitis rationibus, ſed Pythagorico ſupercilio vim addunt, ſæpe & adverſarios contumeliis, convitiiſque ſubmovent, ſolos ſe ſapere volunt, ſolos ſe mentem abducere à ſenſibus, & ſilentium imponere affectibus corporis, ſolos ſe attentos eſſe ; qui ſibi contradicant, animo eſſe omiſſo, vago, alienato ; vel carni immerſos obbrutuiſſe. Quæ cum dixerunt, quaſi egregie jam præmunita ad quidvis audendum via, graſſantur deinde ad Philoſophiam & Theologiam, intruduntque in eas viſa ſua & ſom-

5. *Vitioſa utitur ratione philoſophandi.*

ſomnia. Et niſi provida magiſtratuum diligentia tam effræni & projectæ licentiæ iviſſet obviam, cœlum terræ miſcuiſſent. Vitioſum & illud eſt, ac jam inde à priſcis adoleſcentis Philoſophiæ temporibus reprehenſum, quod relictis ſcientiæ, quam tradunt propriis principiis, aliena arceſſunt, καὶ εἰς ἄλλο γένος μεταβαίνουσι, ideſt, *In aliud genu tranſeunt*. Sin autem Parmenidi datum eſt vitio à Platone & Ariſtotele, quod Phyſicis tractationibus Metaphyſicas adnecteret, & ex illis in has tranſiret, quanto æquius nuperos iſtos Sophiſtas culpabimus, qui Philoſophicis quæſtionibus ſolvendis adhibent decreta Theologiæ? qui cum rationibus uſus eſt, provocant ad Fidem? & non corporum ſolum proprietates & effectus repetunt ex rebus corpore carentibus; ſed corporeas etiam rationes adjungunt rebus divinis, & ad animæ uſque & ſpiritus diviſionem invehunt?

IV. Ad Carteſium vero ipſum quod attinet, longe modeſtior fuit ſequacibus ſuis, ab hiſque vitiis haud paulo alienior; etſi non plane expers. Atque de eo quid ſentiam ſi quis ex me quærat, iterum dicam, magnum fuiſſe & excellentem virum: quod qui negaverit, carebit is utique vel uſu rerum, vel pudore. Fuit enim ad penetrandas res à natura reconditas ingenio acri & perarguto; adjuncta erat eximia vis, quæ nec obrueretur multitudine rerum, nec meditationis continuatione frangeretur; tum & ingens capacitas & amplitudo, quidquid libuiſſet facile complectens. Eximia ad hæc perſpicuitas, cum percipiendis rebus, tum differendis. His inſtructum præſidiis animum ad

IV. *Carteſii virtutes.*

ad Mathematicas primum artes magna cum laude, & ad Philoſophiæ deinde ſtudia contulit; cujus animadverſis vitiis, cum inſtaurandam ſuſcepiſſet, repudiatis primum præjudicatis opinionibus, à pauciſſimis, & ſimpliciſſimis, & clariſſimis principiis exorſus, univerſam naturam explicare inſtituit: quod fuit ſummo Philoſopho dignum. Rationis ordinem tenet & connexionem rerum. In maxima copia brevis eſt; in ſumma brevitate & ſubtilitate dilucidus. Quibus poſtremis laudibus eum vel veterum, vel recentiorum Philoſophorum æquiparat nemo. Quædam ab eo ſcite & eleganter excogitata, & inventa præclare. Imprimis hoc commendatione dignum, quod à mentis humanæ & Dei cognitione auſpicatus, cavit id ubique diligenter, ne chriſtianæ doctrinæ dignitatem imminuere videretur: quanquam hoc ab eo tamen imprudente & inſcio, in multis factum eſt. Mathematica tractat felicius, in iiſque plane regnat: verum illa cum adhiberet ad Philoſophiam, uti Philoſophiæ pars re ipſa ſunt, non Philoſophico, uti decuit, more explicavit; ſed Philoſophiam contra more Mathematico; omniaque propemodum revocavit ad Geometricas leges & Mechanicas.

V. Hinc ſcriptionum omnium quæ ab eo ſunt profectæ, pluris illæ, me judice, faciendæ ſunt, quæ propius pertinent ad has diſciplinas. Ergo primas in his obtinet, quæ Geometria ab eo inſcripta eſt, ſecundas Dioptrice. Proximam his primus diſſertationem De affectionibus; quæ nihil aliud

V. *Cenſorium judicium de Carteſii ſcriptionibus*.

aliud eſt, quàm diſtincta & machinalis explicatio motuum internorum corporis. Huic ſuccedunt Principia Philoſophiæ, quæ partim ex Mathematicis petita ſunt, partim ex Phyſicis, partim ex Metaphyſicis. In Meteorologicis etſi plurimum ineſt ſalis atque acuminis, quoniam tamen non ſatis amplum collegerat Carteſius experimentorum inſtrumentum, peccat ſæpenumero, multaque incaute & leviter profert. In diſſertatione De methodo, nihil eſt quod quis valde contemnat; nihil, quod valde miretur. Obvia ſunt omnia & petita de medio, ſi quædam ſeponas inventa feliciter, quæ Methodi hujus fructus fuiſſe ait. Meditationes, quæ meræ ſunt commentationes Metaphyſicæ, poſtremo loco ſunt habendæ. Ex his licet exiſtimare, ea præcipue animi facultate valuiſſe Carteſium, qua rerum effinguntur imagines: ingenii, vaſti licet & ſublimis, at inamœni & auſteri, ſecundas fuiſſe partes: poſtremas judicii, quo aliarum facultatum inventa circumſpicere & probare, eorumque conſequentias videre non potuit.

VI. Præcipue vero egregii viri conatus nimius ſui amor, nimia fiducia fruſtrata eſt. Inde adeo opiniones ſuas Geometricorum Epicherematum loco haberi vult; atque ita veras eſſe cenſet, ut dogmatis Theologicis repugnare non poſſint; niſi inquit, rationi repugnet ipſa Theologia; eaque ſola, quam iniit, via ad mentis humanæ naturam cognoſcendam, & demonſtrandam Dei *exiſtentiam* iri poſſe; ſi qui à ſe diſſentiant, facere ex vecordia & imperitia. Ergo nonnunquam excandeſcit adverſus contra-

VI. *Carteſii vitia*,

tradicentes, etiam amicos, & convitiis maledictiſque pugnat identidem. Audet is affirmare, ſententiis ſuis receptis, omnes deinceps Theologiæ & Philoſophiæ ſopitum iri controverſias. At proditum eſt à Cicerone (1), itidem exiſtimaſſe veteres Philoſophos ſuis ingeniis perfectam eſſe Philoſophiam, atque idcirco ſtultitiæ, vel ſuperbiæ accuſatos eſſe ab Ariſtotele: qui, quod magna facta eſſet ad ſuperiorum doctrinam acceſſio, ſperabat ipſe quoque, brevi abſolutum iri Philoſophiam; & quod culpaverat in aliis, idipſum peccare ſe non ſentiebat. Mutato nomine narrari fabulam dicas de Carteſio. Majorem præterea deſideraſſes in eo Dialectices peritiam; qua leviſsime imbutum eum, ex modo ratiocinandi quem paſsim tenet, ſtatim intelligas. Et id in eo vitium ab aliis jam adnotandum eſt. Deſideraſſes & candorem in multis. Ita enim eſt: ſi opinionum ejus circumſpiciamus cauſſas, argumenta, & conſequentias, ſæpiſsime eum vel receptis Chriſtianæ Fidei dogmatis, vel temporibus, locis, aut perſonis, vel propoſitis jam à ſe principiis ſerviiſſe; nec quid veriſsimum, ſed quid ſibi tutum, aut doctrinæ ſuæ aptum, conſentaneumque eſſet, fuiſſe ſecutum apparebit. Exempla de multis pauca ſeligam: illud imprimis quod proxime attigi. Cum corporis naturam poſuiſſet in extenſione atque id officere ſenſiſſet Eccleſiæ decreto de Sacroſancta EUCHARISTIA, cumque multa præterea jam à me explicata nullo modo fieri poſſe, ſecumque pugnare aſſeveraſſet, Ex nihilo fieri aliquid, In nihilum aliquid redigi, No-

(1) *Cicer.3. Tuſcul.*

Novum Mundum creari, Vas vacefieri nullo corpore ſuccedente; nec lateribus coëuntibus, Corpus ab alio corpore penetrari; cumque probe intelligeret, ita vulgo de iis quæ ſecum ex natura ſua pugnant, exiſtimari, à Deo fieri ea non poſſe; ut læſæ majeſtatis & acciſæ potentiæ Dei crimen effugeret, hujuſmodi opinionum temeritati alterius hujus effati novitatem prætexuit, Deum mutare naturas rerum & ea etiam facere poſſe, quæ natura ſua fieri non poſsint, ſecumque pugnent. Cum ex infinitate & innumerabilitate mundorum multa ſequi videret Chriſtianæ pietati adverſaria, egregio hoc commento nos ludificatum iri credidit, ſi Mundum diceret non eſſe infinitum, ſed indefinitum. Cum accepiſſet Galilæi ſententiam de motu terræ Romæ fuiſſe damnatam, & Galilæo tamen ac Copernico prorſus in eo aſſentiretur, totamque Phyſicam ſuam ad id accommodaſſet, veritus ne ſibi parem procellam conſciſceret, ſcriptionem ſuam de Mundo jam affectam & prælo paratam primo premere decrevit, deinde dolo agere cœpit, & terræ motum annuum, diurnumque retinens, nec quicquam delibans de natura motus, definitionem ipſam mutare, & meditatis ac ſimulatis verbis Philoſophos univerſos circumvenire aggreſſus eſt. Ergo motum dixit (1), non eſſe id quod vulgo creditur, nempe *Actionem qua corpus aliquod ex uno loco in alium migrat*; ſed *Tranſlationem corporis ex vicinia eorum corporum quæ illud immediate contingunt, & tanquam quieſcentia ſpectantur, in viciniam aliorum.* Quæ etſi infinitis laborare vitiis pro ſua ſa-

(1) *Carteſ. Princip. Par.2. §.24. 25. 29.*

ſagacitate intelligebat, maluit tamen Philoſophorum, quam S. R. E. Cardinalium cenſuram & animadverſionem experiri. Quorſum enim ſpectari vult motum, non ex mutatione veri & interni loci, uti poſtulat æqua ratio, ſed ex mutatione circumjacentium corporum? nempe ut ſi crimini ſibi datum foret aliquando, quod motum tribuerit terræ, cum eam circa Solem volvi docuit, negare id liquido poſſet, cum à Solari hoc vortice rapta, viciniam non mutem circumjacentis materiæ vorticis illius, nec ab ea recedat. Quaſi vero ſi aqua in vorticem circumacta in vaſe ſecum rapiat innatans ligni fruſtum, etiamſi id volvatur celerrime, immotum tamen dici poſsit, quod ſimul volvatur circumjecta aqua. Imo, etiamſi terra motu diurno circa centrum ſuum rotetur, ne ſic quidem moveri Carteſius (1) fatebitur. Nec iſta putetis dubitanter ab eo & modeſte eſſe propoſita; verum ſine hæſitatione pronuntiat motum à Tychone terræ verius tribui, etiamſi immobilem eam eſſe decernat; quàm à ſe, etiamſi utrumque ei motum, & diurnum, & annuum concedat: & quamvis terra, itidem, ut reliqui Planetæ, motus ſuos habeat, tamen etiam juxta vulgarem motus definitionem, nullum terræ motum eſſe; etiamſi reliqui Planetæ vere moveri dicantur. Quid eſt vero Lectoribus fucum facere, ſi hoc non eſt? Quanto æquius erat, & convenientius Philoſopho, candide agere, & motum motum, quietem quietem appellare, quàm poſitos à patribus terminos movere, omniaque dolo malo pervertere? Porro quàm diſſimulandi artem rebus ſuis

(1) *Carteſ. Princ. Part.3. §.33.*

ſuis adhibuit Carteſius (1), ejuſdem adhibendæ aliis auctor fuit: velut Henrico Regio, quem monet per epiſtolam, ne opiniones ſuas prodat in apertum, ſed confictis verbis obtegat. Cum autem reſcripſiſſet ad eum Regius ſuſpicari nonnullos, non ſatis ſimpliciter eum & candide animi ſui ſenſa protuliſſe, ſtomachatur quidem, ſed de eo parum ſe purgat. At ſæpius diſſimulantiam hanc compoſitam videas ad oſtentationem: ut cum literas ſuas ex tempore ſcribere ſe fingit paſſim, non meditatas & per otium compoſitas deſcribere: cum tamen Clerſelerius, nobis dum viveret quàm alienus Philoſophicis opinionibus, tam conjunctus voluntate, à quo editæ ſunt iſtæ literæ, palam teſtificetur in præfatione Tomi primi & tertii, ſe eas ex codice manu Carteſii ipſius deſcripto excepiſſe. Quem codicem ex epiſtolis jam compoſitis deſcriptum ab eo cum fingunt ejus aſſeclæ, doctoris ſui imitantur dolos, nobiſque os ſublinere conantur; cum frequentes in hoc codice appareant lituræ; cujuſmodi fere ſunt eorum, quæ meditando elucrubamus, non quæ ex elucubratis deſcribimus. Quid quod & Græcæ licet imperitus eſſet linguæ, glorioſam tamen peritiæ hujus pueriliter & inconſideratæ ſibi arrogavit. Nam cum Geometriam ſuam Gallice ſcriptam ederet Lugduni Batavorum, & locum quemdam afferret ex Pappo (2), qui Latine tantum editus extat, *Interpretationem*, inquit, *Latinam proferre ſatius duxi, quàm verba ipſa Græca, ne caput ullius fugiant.* Cujus flagitii ſecta-

(1) *Carteſ. Epiſt. Tom.* 1. *Epiſt.* 89. & 98.

(2) *Geometr. Carteſ. Gallic. Lugd. Bat.* 1637. p. 304.

ſectatores ejus demum cum puduiſſet, hæc ab iis in ſequentibus editionibus eraſa ſunt. Adeo nihil aſpernabatur, quod ad exiſtimationem ſuam pertineret. Ut autem alienam laudem captabat ſtudioſe, ita plurimi ſe ipſe faciebat, minimeque erat contemtor ſui, etſi magnam præ ſe ferebant modeſtiæ ſpeciem. Ac tum præcipue erumpebat innatæ ſuperbiæ igniculi; ſi quando nobiles aliquos nactus erat adverſarios; magnos enim tunc ſumebat ſpiritus, eoſque præ ſe valde deſpiciebat. Velut in iis contentionibus, quas cum excellentibus viris Fermatio, Robervallio, Gaſſendio & Regio exercuit. Velut cum de Gallilæi doctrina tulit judicium. Velut cum ad magiſtratus Ultrajectinos ſcribere non erubuit, meliorem eſſe ſe Philoſophicarum rerum æſtimatorem & judicem, quàm totam Ultrajectinam Academiam; quod etiamſi verum fuiſſet, ita tamen jactare ſe, hominis fuit intemperanter oſtentatoris & glorioſi.

VII. Laudem vero captat præcipue ex doctrinæ ſuæ novitate, quidquid obganniat, etſi nihil fere attulit novi. Hinc Philoſophorum, aliorum ſcriptiones parum ſibi verſatas eſſe ſimulat: quamvis in diſſertatione De methodo, oblitus ſuis fateatur diligenter tritum fuiſſe ſe ab adoleſcentia & verſatum in libris veterum, aliiſque in quibus reconditum ineſſet aliquid, & à vulgi notitia ſemotum. Atque hoc etiam ipſo diſſimulante, facile perſpiciet, quiſquis uſum aliquem habuerit veteris Philoſo-

VII. *Inſigne hoc Carteſii vitium, quod novitatis nimium fuit ſtudioſus; ac propterea ſimulate affectavit inſcitiam, quam ejus aſſeclæ vere retinuerunt;*

loſophiæ. Futurum autem id cum præſenſiſſet, excuſatione uſus eſt in ſpeciem modeſta, revera jactantiæ & diſſimulationis pleniſſima; nullarum ſententiarum haberi ſe velle inventorem, id tantum præ ſe ferre, nullam ſe idcirco adoptaſſe, quod vel ab aliis jam ante probata fuiſſet, vel rejecta, ſed quod admittendam eſſe ratio ſibi perſuaſiſſet. Hanc porro inſcitiam, non ſimulate, ut ipſe, ſed vere affectatores ejus plerique retinuerunt. Mirari profecto ſubit, exortos eſſe nuper ex hac factione aliquos, qui perverſum illiteratorum Epicureorum exemplum ſecuti, non elegantioribus ſolum, ſed reconditioribus quoque literis, præterquam ſi quas callere ſibi viſi ſunt, bellum palam auderent indicere, noſque, in agreſtem illam & feram barbariem, quæ vix tot ſeculorum laboribus & ſtudiis expugnata eſt, vellent retrudere. Nam quæ vox edi poteſt magis barbara & immanis, quàm quæ in eorum libris expreſſa extat ad æternam ignominiam, exiguum fore damnum, ſi igni abſumatur quidquid uſpiam Poetarum & Philoſophorum Ethnicorum eſt? Inanis ergo eſt tot ætatum, tot gentium, tot excellentium hominum conſenſus, apud quos ſumma Homeri & Virgilii admiratio fuit. Qui tametſi vitiis non caruerunt ſuis, ut imperfecta ſunt humana omnia, multo majoribus tamen ea virtutibus compenſant. Pro nihilo ergo jam inde putandum eſt in fingendo & in excogitando acumen, in narrando elegantia & ſubtilitas, amœnitas in exornando. Faceſſant ergo artes omnes quæ pertinent ad humanitatem, ac humanitas quoque ipſa; & quia ad delicias animi & ad lepores bardi iſti ſunt & ſtupidi, nos iis carebimus. Delirabant vero tot præſtan-

tes

tes ingenio & doctrina viri, ac ipſi quoque Eccleſiæ Patres, à quibus tantus habebatur Platoni honos: deſipiebant tot Scholæ, Scholarumque magiſtri, qui & Ariſtotelis tenuerunt ſententias, & aliis tenendas tradiderunt. Quoad è tenebris prodierunt homines novi, qui emendarent vitam, eriperent errores, & animis hominum lucem inferrent: qui nobiliſſimos auctores numquam ſibi lectos nobis excuterent de manibus, & ne à limine quidem ſibi ſalutatas diſciplinas peſſumdarent, ut uni poſthac eſſent magiſtri recte ſentiendi & vivendi; ut quæ ſomniarunt per otium, ſilentibus (ſic enim paſſim loqui amant) ſenſibus, & animi affectionibus, ea pro certa veri norma haberemus; & unica deinceps vigeret Carteſii Philoſophia. Linguas Orientis condiſci vetant, & Rabbinos lectitari, quæ ad ſacrorum Codicum intelligentiam magno eſſe neſciunt adjumento. Otioſi hominis eſſe volunt, ſcrutari naturas animalium; vani etiam ea ſtolide arrogantis, de iis diſputare animalibus quorum mentio habetur in Libris ſacris; quaſi partis illius oraculorum Dei ſupervacanea notitia ſit; quaſi hominum, ſit non jam dico ineruditorum aut ſemidoctorum, ſed non omni doctrinæ genere excultorum, de Bocharti, quem non obſcure ſuggillant; ſcriptionibus judicium ferre, viri magni & de re literaria præclare meriti cujus conſuetudine ita me olim cupide frui memini, quaſi id tum proſpicerem quod re expertus ſum, eo amiſſo parem habiturum me unde diſcere neminem. Cognitionem contemnunt Aſtronomiæ, ſine qua neque notitia conſtare poteſt temporum, neque navigandi ars, neque agricultura. Inventionem aſpernantur & uſum ſpecularium vitreorum, quæ res vel propter longinquita-
tem

tem vel propter exiguitatem obtutum noſtrum fugientes retrahunt, & oculis ſubiiciunt: cum Dioptricen tamen diligenter excoluerit dictator illorum Carteſius, cumque per eam & maxime hominibus partæ ſint commoditates, & Phyſicæ fines, ut ita dicam, amplificati. Culpant Critices ſtudium, quæ nobiliſsima Grammaticæ pars eſt, & reliquarum diſciplinarum, quæ literarum monumentis conſignatæ ſunt à Veteribus, velut ſepes & munimentum. Grammaticam ipſam reſpuunt, qua itur ad diſciplinas. Interdici jubent antiquæ & externæ Hiſtoriæ notitia, unde opportuna petuntur ad vitam regendam, & adminiſtrandam Rempublicam præcepta; ac priſcæ etiam Geographiæ, ſine qua hiſtoriæ cognitio nulla eſt. Nihil configo, nihil addo de meo. Libri ſunt in vulgi manibus, quibus præclara hæc ſinceræ doctrinæ capeſſendæ præcepta & effata continentur. Atque ea egregio hoc firmant argumento, fruſtra in externis & antiquis cognoſcendis eum abuti operam, qui recentia ac domeſtica penitus perſpecta non habeat. Igitur lapides omnes domus ſuæ ante numerare debuerat Villalpandus, quàm de Salomonici Templi forma deſcribenda cogitaret. Univerſa ergo terra percurrenda prius & dimetienda mihi eſt, quàm ad videndum Solem oculos mentemque convertam. Ad terram vero ipſam obeundam, vel ſtudio peragrandam priuſquam me accingam, Lutetiæ fora omnia, angiportus, viæ & inſulæ mihi erunt perluſtrandæ. Rurſum ineptus ero, ſi Lutetiam cognoſcere velim, me ipſum non noverim. Itaque à me auſpicanda mihi erit rei cujuſvis cognitio. Quæquam abſurda ſint, æquorum hominum arbitrium eſto. Quinetiam adeo inconſiderate imperitos ſe

& ru-

& rudes produnt, ut vix alterius quàm vulgaris linguæ uſum concedant in ſcribendo; nec aliam probent Latinitatem, quàm ſimplicem, incomtam, & facilem; ne ſibi ſcilicet, cum legent, ſæpius recurrendum ſit ad interpretem. Jam ergo ludibrium debemus Carteſianis, quod eruditi ſumus. Ita converſæ ſunt rerum vices, poſtquam exorta eſt fax illa vitæ & veri; nunc laudi imperitia eſt, dedecori eruditio: nunc non ſcientia inflat, quod dictum eſt Apoſtoli (1), ſed inſcita. At Geometriam commendant, at probant Analyticen, at Anatomicen laudant, quippe quarum notitia aliqua tincti ſunt. Ita aliena bona deſpiciunt, dum prædicant & oſtentant ſua. Ita quod neſciunt, damnare malunt, quàm diſcere. Ita appoſite in eos convenit iſtud Sancti Judæ (2): *Quæcunque ignorant, blaſphemant; quæcunque autem norunt, in his corrumpuntur.* At quanto æquius erat, rectores illos mentis, emendatores rationis, diſciplinam quamque pro merito eſtimare, cum & Geometria, & Analytice vitiis ſuis laborent, earumque multo maxima pars uſum habeat nullum, ſed inanem tantum otioſi animi oblectationem; cæterarum vero diſciplinarum nulla ſit, in qua non & dignitas ſua inſit & utilitas. Porro ne fruſtra jactatum à me cauſſetur quiſpiam, nihil Carteſium fere attuliſſe novi, digitum hìc intendam ad fontes, unde latifundia ſua irrigavit.

VIII. Hoc primum à dubitatione ſumtum philoſophandi initium, cauſſaſque dubitandi, ab Academicis & Scepticis jam ante ex-

(1) 1. *Cor.* 8. 1.
(2) *Jud.* 10.

VIII. *Etſi nihil fere attulit novi.*

te excogitata eſſe pervulgatum eſt. Ariſtoteles (1) ipſe vult veritatis inveſtigationem à dubitationibus proficiſci. Dubitationem hanc, an ſimus, proponit & ſolvit Auguſtinus (2). Arceſſitum & ab utriſque, Academicis & Scepticis, alterum illud, quod à communi uſu vitæ removenda eſt iſta ratio dubitandi, & receptis conſuetudinibus eſt obſequendum. Fundamentum iſtud doctrinæ ſuæ, Ego cogito, ergo ſum, admonitus à Merſenno Carteſius agnovit eſſe Auguſtini (3), cujus hæc verba ſunt: *Mihi, eſſe me, idque noſſe & amare, certiſſimum eſt. Nulla in his veris Academicorum argumenta formido, dicentium, Quid ſi falleris? Si enim fallor: ſum: nam qui non eſt, utique nec falli poteſt; ac per hoc ſum, ſi fallor*. Quo argumento uſus quoque eſt aliis locis. Jam quod in clara & diſtincta rerum perceptione certam ponit normam veritatis, facit Platonicis Auctoribus, & Cyrenaicis, & Epicureis, cæteriſque Dogmaticis. Ex me jam ſupra audiſtis præcepta veri cognoſcendi propoſita ab eo in diſſertatione De methodo, communia eſſe diſciplinarum omnium; Arithmeticæ vero præcipue & Geometriæ; & certe nova non eſſe ne ipſe quidem inficiatur Carteſius. Primum quidem illorum manifeſto petitum eſt ex Auguſtini libris contra Academicos. Ex Ethicis Carronii habuit plurima. Habuit à Franciſco Verulamio (4), quod à Phyſicis diſquiſitionibus omnem cauſſarum, quas finales vocant, inveſtigationem decrevit eſ-

(1) *Ariſtot. Metaph. lib. 3. cap. 1.*
(2) *Auguſt. De lib. arbitr. lib. 2. cap. 3.*
(3) *Auguſt. de Civit. Dei. lib. 11. cap. 26.*
(4) *Franc. Bacon. Verul. de augument. ſcient. lib. 3. cap. 4.*

ſe ſejungendam. Habuit à priſcis Academicis & Epicuro, quod diligenter inquiri & exprimi juſſit, quæ vocibus ſignificatio & vis ſubjecta ſit. Quæ ad demonſtrandam naturam humanæ mentis, & *exiſtentiam* Dei attulit, in aliis fundis nata reperimus & vix quicquam ſuper his novi proferri poſſe palam ipſe declarat: ac merito ſane; extant ſiquidem in libro Auguſtini (1) de Trinitate probationes illæ: quibus animum à corpore diſtinctum eſſe demonſtravit: & Carteſio quoque in hac diſquiſitione prælusiſſe Proculum (2) Diadochum, jure ſuſpicabitur, quiſquis Elementa ejus Theologica diligenter evolverit. Nec pauca tranſtulit ex Claudii Mamerti libro De anima. Celebris vero illa argumentatio, & à Carteſii ſuffragatoribus tam impenſe laudata, qua adſtruxit *exiſtentiam* Dei, tota eſt Anſelmi, & in Proslogio, & in Apologetico contra Gaunilonem; eandemque & expoſuit Thomas Aquinas, & refellit (3); cujus opera ſtudioſe ab eo lectitata fuiſſe conſtat. Ut taceam probationem à Platonicis, Epicureis, & Stoicis ductam ex impreſſa hominum omnium animis Dei notione. Jam quod addit notionem Dei, quæ nobis inſita eſt; alterius eſſe generis ac cæterarum rerum notiones, quas animo inſertas habemus, idem ab Jamblicho traditum eſt(4). In aliis etiam pleriſque quæ pertinent ad animum, habuit quos ſectaretur: puta Protagoram, & Cyrenaicos, cum dixit nihil certi nos ha-

(1) *Auguſt. de Trin. lib.* 10. *cap.* 10.
(2) *Proclus Elem. Theolog. Prop.* 186.
(3) *Thom. Summ. Part.* 1. *Quæſt.* 2. *Art.* 1. *ad* 2.
(4) *Jamblich. De myſt. Ægypt. lect.* 1. *cap.* 3.

habere de rebus extra nos poſitis, ſed tantum de intimis earum perceptionibus quæ in nobis ſunt; quàm ſententiam ſecutus Arnobius (1) his expoſuit verbis: *Ut quiſque eſt factus ad extrinſecus rei venientis attactum, ita afficitur, qualitatem non accipit ex rerum impulſionibus natam, ſed ex ſui ſenſus contagiique natura.* Sectabatur & Platonem, cum dixit mentem noſtram res corporis & materiæ expertes primas omnium percipere; item eſſe in intellectu aliquid quod non fuerit in ſenſu, innatas videlicet ideas: Socratem, atque Auguſtinum, cum dixit mentem eandem noſtram per ſe ipſam res illas corpore carentes, ſeque adeo cognoſcere: Stoicos, cum dixit ſolas noſtras cogitationes eſſe in noſtra poteſtate: Socratem etiam, cum dixit ſcire neminem idemne quod ſenſu percipit, alii quoque percipiant: Platonem item, cum dixit ſe cum Geometricorum principiorum ac Theorematum veritatem cognoſcit, non tam ſibi videri ea primum diſcere, quàm jampridem cognitorum recordari: Auguſtinum ac Thomam, cum præter eam memoriam, quæ per inſtrumenta corporis exercetur, aliam in nobis ponit, quæ tota ad animum pertineat: item Auguſtinum (2), ſed male, ut videtur, intellectum, cum dixit animum ſentire, non corpus. Quod ſpirituum animalium velut promum condum eſſe dixit Conarium, id totum tranſtulit ex Galeno (3), à quo & accurate confutatum eſt. Sed & propoſita ab eo commenti hujus ratio, quod nempe neceſſe ſit, ut quæ per varios ſenſus undique appellunt ad animum, in unum aliquid confluant

H 2 & co-

(1) *Arnob. lib. 7.*

(2) *Auguſt. de Gen. ad liter. lib. 12. cap. 24.*

(3) *Galen. de uſu part. lib. 8. cap. 14.*

& cogantur, eadem uſurpata eſt à Platonicis & Stoicis. Cum auctorem ſe fert axiomatis hujus, Quidquid poteſt cogitari, poteſt eſſe, facit arroganter & imperite; fuit enim id unum ex dogmatis Philoſophorum illorum Arabum, qui Medabberim, id eſt Loquentes, vel potius Dialectici, vocabantur, & quorum doctrinam fuſe expoſuit Maimonides in More (1) nevochim. Atque hoc ipſum effatum eruditiſſimus ille Magiſter ſuffragio ſuo comprobavit. Jam notiones rerum externarum, quas nuntio ſenſuum ſuſcipimus, cum modificationes animi eſſe dicunt Carteſii gregales, eo vocabulo id repræſentant, quod ἑτεροιώσεις Veteres appellabant. Eoſdem ſecutus eſt Carteſius, cum voluntates; ſive actus voluntatis retulit in cenſum cogitationum; omnem enim animi ſenſum nomine voluntatis afficiebant, ut ex Quintiliano cognoſcimus: & cum hominem à beſtiis ſermone præcipue diſcerni docuit; jam ante enim id docuerant Pythagoras, Plato, Cicero, Quintilianus, Galenus, & alii. Perturbationum cauſſas & effectiones cum motibus membrorum, humorum & ſpirituum corporis adſcripſit, quibus tanquam verticillis & nervis ſigillaria quædam & machinæ agitentur, fecit auctore Platone (2), qui perturbationibus illis, tanquam funibus & nervis trahi nos & cieri tradidit. Quam Platonis comparationem uſurparunt deinde Horatius (3) & Perſius, imprimis vero & crebro Marcus Aurelius. Quid hoc eſt vero, quod apud Ciceronem (4) legimus

(1) *More nevochim. Part.* 1. *cap.* 15. & 73.
(2) *Plat. lib.* 1. *Leg.*
(3) *Horat. Serm. lib.* 2. *Sat.* 7. *Perſius Sat.* 5. *M. Aur. lib.* 1. §. 2. & *lib.* 3. §. 16. & *lib.* 12. §. 19.
(4) *Ciceron. Tuſcul. lib.* 4.

mus, beſtias ſimile quiddam facere perturbationum animi in perturbationes non incidere, quod hæ eveniant ſolum ex aſpernatione rationis, qua carent beſtiæ? quid aliud, inquam, ſuadet hoc nobis, quàm beſtias mera eſſe automata? nam ſi perturbationibus carent: neque herum diligit canis, neque lupum ovis reformidat: imo, nec cibum appetunt, nec dolorem fugiunt, nec mortem timent; ſed ex coacto cæcæ materiæ motu id facere videntur quod non faciunt. Scribit conceptis verbis Plutarchus (1) crediiſſe Diogenem brutas animantes, neque intelligere, neque ſentire, quod & confutavit Porphyrius (2). Sciſcit Proculus (3) animalia tantum rationalia animâ eſſe prædita; additque decretum eſſe à Platone, animam vere eſſe eam quæ ratione polleat, cæteras ſimulacra animarum. At nemo doctrinam hanc vel tradidit apertius, vel fuſius propugnavit, quàm Gometius Pereira, qui in Antoniana ſua Margarita, perfractis Lycei, in quo eductus fuerat, repagulis, & ingenii ſui libertati obſecutus, novum hoc Hiſpaniæ paradoxum, aliaque multa propoſuit. Venit ex Lyceo pervulgata hæc argumentatio; quàm in Meditationibus ſuis uſurpavit Carteſius, eſſe ſe dicens vel à ſe, vel ab alio; non à ſe, quippe fore ſe Deum; ergo ab alio: rurſum alium hunc, vel eſſe à ſe, vel ab alio; ſi à ſe, eſſe Deum; ſi ab alio, iterum idem quæri de alio iſto, donec ad primum ſui auctorem pervenerit, atque hunc eſſe Deum. In explicanda corporis natura, fraudi ipſi fuit trita Geometrarum definitio. Paradoxum illud, quo doctrinam ſuam de corporis na-

H 3 tura,

(1) *Plutarch. De Placit. Philoſ. lib* 5. *cap.* 20.
(2) *Porphyr. De abſt. ab anim. lib.* 3.
(3) *Procl. in Platon. Philoſ. lib.* 2. *cap.* 1.

tura, recepto inter Catholicos dogmati de facto EUCHARISTIÆ Sacramento adverſariam defendere tentavit ; Efficere nempe Deum poſſe, ut res ſine natura ſua conſtent, ut ſint ſimul & non ſint, ut fiant quamvis fieri non poſſint ; hoc, inquam, Paradoxum ſumſit ex quibuſdam Auguſtini (1). & fortaſſe etiam Ambroſii, locis male lectis & intellectis ; quibus traditur Deum mutare poſſe naturas rerum, & ea etiam facere, quæ fieri non poſſunt, & rei cujuſque naturam eſſe voluntatem Dei. Nec enim illic, cum de naturis rerum ageret Auguſtinus, ſignificavit rerum *eſſentias*, quæ immutabiles ſunt ; nec ea ſimul eſſe poſſe docuit, quæ pugnant interſe, &, ut vulgo loquuntur, *implicant contradictionem* : ſed ad naturæ tantum vires attendit, quas voluntati Dei ſubjectas eſſe merito cenſuit : cum cæteroquin diſerte pronuntiet, multa non poſſe Deum (2) ; etſi omnipotens est, & ideo omnipotentem eſſe, quia iſta non poteſt. In vacuo à rerum natura excludendo, Jonicæ ſcholæ adhæſit, quæ à Thalete ad Platonem uſque in ea fuit hæreſi. Ariſtoteles quoque & Stoici è mundi finibus exterminaverunt vacuum, at extra mundum eſſe paſſi ſunt. Sed & ex Italica ſecta extiterunt, qui impugnarent vacuum, Empedocles, Meliſſus, & Zeno, Eleates. Quo argumento uſus eſt Carteſius, ut probaret nihil omni corpore vacuum eſſe poſſe, futurum nempe ut Nihil eſſet extenſum, Nihil autem nullas eſſe poſſe affectiones, eodem probavit Pyrrho, id quod non eſt, ſive Nihilum, doceri non poſſet, quippe ſi Nihilum doceri poſſet, Nihilo aliquid eventurum, Nihilo

(1) *Auguſt. Serm. 147. de temp. De civit. Dei, lib. 21. cap. 8.*

(2) *Auguſt. De Symb. Fid. ad Catech. men. & lib. 29. contr. Fauſt. cap. 5.*

hilo autem nihil poſſe contingere. Carteſiani argumenti prorſus ſimile eſt argumentum, quo ad rejiciendum vacuum uſus eſt Gulielmus (1) Epiſcopus Pariſienſis, *Vacuum nempe diſtantiam facere non poſſe.* Idem aſſeveravit ante Carteſium, ſi vas à Deo ita vacefiat, ut nullum omnino in eo corpus ſuperſit, futurum ut vaſis latera coeant. Dixit Plotinus (2) nihil Deum creare poſſe, præter id quod creatum eſt; quod idem placuit & Carteſio, licet ob diverſas cauſſas. In loco externo explicando præivit Carteſio Ariſtoteles. Quidquid de mundi origine traditum ab illo eſt, totum id propemodum manavit è veteri Philoſophia. Nam primum Anoxagoræ eſt materia illa infinita, in minutas diſtributa particulas, inter ſe ſimiles, & mente divina in ordinem adductas. Quam doctrinam perſecutus eſt Anaxagoræ diſcipulus Euripides. Sciſcebant eadem fere Empedocles & Heraclitus. Sciſcebant imprimis Democritus & Epicurus, omniaque ex corpuſculis anguloſis, levibus, uncinatis, & hamatis concreta eſſe volebant. Poſſe hæc ſemper dividi, & ad quantamlibet tenuitatem redigantur, novæ rurſum partitioni ſupereſſe locum, cum Thalete, Pythagora, & Academicis Ariſtoteles cenſuit. Imprimis vero Leucippus, Eleates, Democritus, & Epicurus Carteſio præluſerunt in Mundi hujus aſpectabilis explicandis cauſſis: nam præterquam quod individua corpuſcula & inane admiſerunt, quæ repudiavit Carteſius, cætera prope omnia conſentiunt. Primum enim ponunt univerſitatis rerum, Mundorumque infinitatem, quod & Anaximandro, & Anaximeni, & Anaxagoræ, Metrodoro, Seleuco & Archelao,

(1) *Gulielm. Pariſ. Part.* 1. *De univerſ. Part.* 1. *cap.* 14. & 31.

(2) *Plotin. Enn.* 5. *lib.* 5. *cap.* 12.

lao, & Xenophani placuit; & Diogeni quoque Apolloniatæ, qui & Mundos generari credidit; atque etiam Meliſſo, qui & ab hac infinitate vacuum removit, perinde ut Carteſius. Particulas rotari & circumagi dicunt, & is, quē dixi, Leucippus, & ejus aſſeclæ: atque ex ea vertigine corpuſcula variis modis implicata orbem hunc aſpectabilem edidiſſe; terram in ima ſubſediſſe, ac propterea factam cylindraceam; Mundos longis intervallis occidere & oriri: quod & Anaximandro viſum eſt. Aſtra ſingula Mundos eſſe, aere ſuo & æthere, ac ſua etiam terra inſtructos opinati ſunt Heraclitus & Pythagorei. Idem in Orphicis traditum eſt. Strato quoque Lampſacenus repuditatis illis Democriti corpuſculis & inani Mundum naturæ opus eſſe docuit; & quidquid fit, naturalibus ponderibus & motibus fieri. Varias Mundi figuras, ſed globoſam præcipue adſcripſit Epicurus. Unam & eandem eſſe Mundi totius materiam dixit Anaximander, aliique ſubinde. Pervulgata eſt apud Sinenſes opinio, Mundum ex aqua conflatum eſſe, quæ magna vi agitata in leviores partes graviorefque diſcreta abierit: ex illis prodiiſſe terram, ex his cœlum; medias partes naturam ſuam retinuiſſe. In varios vortices, ſive Mundos primam rerum materiam diſtribuerunt Leucippus, Democritus & Epicurus: unde exiſtimemus meritone in vorticum horum inventione tantùm ſe jactet Carteſiana Schola. Ac de his quidem manifeſta res eſt apud Diogenem Laërtium (1) & Heſychium Illuſtrium. Ajebant enim corpuſcula ex infinita ſimul collecta, δίνην ἀπεργάζεσθαι; *vorticem efficere*; & κατὰ τὴν τοῦ μέσου ἀντέρεισιν περιδινεῖσθαι, εἱλεῖσθαι, συστρέφεσθαι, *renitente medio circumvolvi*: ex hac vertigi-

(1) *Laërt. & Heſych. in Leuc. Democr. & Epicur.*

tigine particularum ſeceſſiones & conjunctiones oriri; ex conjunctionibus enaſci *globoſum acervum*, σύστημα σφαιροειδὲς. Infinitum quoque univerſum poſuiſſe Diogenem Apolloniaten, atque infinitum vacuum, auctores ſunt Plutarchus (1) & idem Laërtius (2); ac cùm moveretur univerſum, effeciſſe vorticem, συστροφὴν πιῆσαι denſiuſque illic evaſiſſe, iſtic rarius, & ex levioribus partibus Solem extitiſſe: quæ ab Anaximenis doctrina non valde diſcrepant, & mera ſunt Carteſianæ fabulæ ſemina. Sparſa quoque plurima reperies hujuſmodi in Plutarchi libello De facie in orbe Lunæ: velut univerſum eſſe infinitum: cumque fine careat, carere & medio, plures eſſe Tellures, quæcumque gravia ſunt non ferri in medium Mundi, nec Mundi medium Terram hanc noſtram obtinere. Extitit vero inter novitios Philoſophos Jordánus quidam Brunus Nolanus, quem Carteſianæ doctrinæ anteſignanum jure dicas, adeo accurate omnem propemodum ejus compoſitionem præſignavit in eo libro quem De immenſo & innumerabilibus inſcripſit. Nam & univerſi infinitatem & Mundorum innumerabilitatem tuetur; & duo eſſe vult Aſtrorum genera, Soles, & Tellures, hoc eſt, Stellas Fixas, & Planetas; circa ſingulos Soles ingens eſſe ſpatium æthereum in quo Tellures volvantur, ut circa hunc noſtrum Solem Terra, Saturnus, Jupiter: cæterique Planetæ; atque ideo quot Soles ſunt ſive Fixæ, totidem eſſe Mundos, diverſis intervallis à terra ſemotos; Cometas eſſe de genere Planetarum; Terram nativo igne fœtam eſſe; Mundi hujus igneum elementum eſſe Solem ipſum; ignem alio modo eſſe in Sole atque in Aſtris. Sed ne

H 5 nimius

(1) *Plutar. apud Euſeb. Præp. Evang. lib. 1. cap. 8.*
(2) *Diog. Laërt. in Diogene Apollon.*

nimius ſim, librum legi velim; qui fecerit, feret operæ pretium, & quàm pulchre ei cum Carteſio conveniat cognoſcet. Provenerunt poſt Brunum acuti Philoſophi, Gilbertus & Gallileus, qui Mundum eſſe infinitum, ac proinde figura, centroque carere ſentirent, etſi non aperte ſententiam ſuam ſcriptis explicarunt. Nonnulla quoque Carteſianis haud abſimilia prodidit Keplerus, inſignis ætatis hujus Mathematicus, à quo multa ſe didiciſſe Carteſius profitetur. Is licet Fixis ſingulis ſuos non attribuit vortices, in eoque & in Mundi infinitate, diſſentire ſe à Bruno & Gilberto ſæpius affirmet, ſuum tamen dat Soli vorticem, Carteſianis & Brunianis vorticibus parem, in quo Terra & Planetæ volvantur. Sic enim in Epitome Aſtronomiæ Copernicanæ (1), *Pro manibus eſt Soli*, inquit, *virtus ſui corporis lineis rectis in omnem Mundi amplitudinem emiſſa, quæ eo ipſo quod eſt ſpecies corporis, una cum corpore Solis rotatur inſtar rapidiſſimi Vorticis*. Deinde, *Corpore Solis converſo, virtus etiam iſta convertitur. Cumque Sol illa virtute corporis arripuerit Planetam, ſecum etiam circumducit illum, & cum illo forte etiam omnem auram æthercam circumfuſam.* Et in eximio opere De motu ſtellæ Martis, lemmati capitis triceſimi quarti verba hæc inſeruit: *Species illa virtutis, quæ vehit Planetas per Mundi amplitudinem, circumit inſtar fluminis, ſeu Vorticis.* Tum in ipſo capite refellit Fracaſtorium, quod vetuſtiſſimos Ægyptios ſecutus, futurum cenſuerit; ut aliqui Planetæ orbitis ſuis deflexi, novas ineant vias, priſtinis relictis; quæ ipſa eſt origo Carteſiana Cometarum. Id ab Ægyptiis ſumſerunt Pythagorici & interpolarunt, ſi Theoni (2) horum opinionem referen-

(1) *Kapler. Epit. Aſtron. Copern. lib. 4. Part. 2. cap. 3.*
(2) *Theon. in Arat. Progn.*

ferenti credimus. Ad idem redit eorum opinio, qui ſtellam anno MDLXXII. exortam in ſigno Caſſiopeæ, ex profundis & immenſis ætheris ſpatiis recta verſus terræ centrum proceſſiſſe & hominibus apparuiſſe rati ſunt, quique à Tychone (1) & Keplero ſunt confutati. Quemquam nec multum ab his diſcreptat Keplerus (2) ipſe, advenas eſſe Cometas ſtatuens, ex vaſtis cæli regionibus motu recto profectos, qui tum in oculos hominum incurrant, cum rectæ lineæ quàm deſcribunt eam tenent partem, quæ terris proprior eſt; tum videri poſſe deſinant; cum inſtitutum iter peragentes recedunt à terris. Ceciniſſe fertur Empedocles Aſtra ignem eſſe, quem in primo rerum diremtu ex ſe expreſſerit æther atque eliſerit; magnam quoque ignis vim circa centrum terræ eſſe collectam: atque ab hoc igne terram moveri Parmenides credidit: quæ omnia arripuit Carteſius, atque ad uſus ſuos accomodavit. Ex Luna & Planetis, qui Tellures ſunt & habentur à Bruno & Carteſio, Soles effici volebat Cleanthes; Carteſius ex Solibus Tellures. Unde Magneti inſita ſit ferri attrahendi vis, cum quærerent Platonici, multa attulerunt Carteſianis conſentanea: ferrum enim dixerunt, non tam raro eſſe corpore ac lignum; nec tam ſolido atque aurum; huic meatus quoſdam ineſſe aſperos atque ſcabros, qui admittant aërem, atque eum in has anguſtias receptum obſtructo deinde exitu retroagi, & verſus lapidem reverti, ferrumque ſecum unà rapere. Cauſſam æſtus maris ad compreſſionem venti terram inter & contravenientem Lunam intercepti retuliſſe Seleucum Mathematicum auctor eſt Plutarchus in libro De placitis Philoſophorum

(1) *Tych. Progymn. Tom.* 1. *pag.* 641.

(2) *Kepler De ſtell. nov. Serpentar. cap.* 21. 22. *& de Comet. lib.* 2.

rum(1) : quem librum Carteſio accurate lectum & ſublectum fuiſſe multa indicant. Non aliam fulguribus, tonitribus, & fulminibus cauſſam aſſignavit Carteſius, atque Anaxagoras. Is nubes calore correptas collidi, atque inde fragorem exiſtere docuit. Fuſe hæc exponentem Socratem Anaxagoræ auditorem inducit Ariſtophanes in Nubibus: quas qui legerit, Carteſianum fuiſſe Socratem putet. Tonitru; inquit, edunt nubes provolutæ; nam cum nimio aquæ pondere gravatæ ſunt, in ſubjectas ſibi nubes concidunt, rumpuntur, & fragorem cient: interceptus enim aer, iiſque incluſus, eas diſtendit haud ſecus quàm veſicas, ac demum eas diſcindens & perrumpens, exit magno impetu, ignemque concipit. Hæc placuerunt deinde Stoicis. Addit Ariſtoteles, exhalationem ſiccam in humida nube coactam vi magna viam ſibi facere, & erumpendo ſonum edere. Colores nihil aliud eſſe quam lucem modificatã, & diverſis modis reflexam, neque ineſſe in corporibus, opinio fuit Ariſtarchi Samii, Democriti, & Epicuri. Quam, ad explicandam viſionis naturam, baculi ſimilitudinem adhibuit Carteſius, eadem Stoici utebantur. Quippe ne ab alienis quidem abſtinuit manum, cum tractaret Mathematica: in quibus etſi magnus fuit, longe tamen minor fuit, quam prædicat ejus factio. Pauca addidit ad Analyſin Vietæ. Quæ primus in hac arte deprehendiſſe ferebatur, furtim ex Harrioto Anglo exceperat. Exceperat Dioptrica ex Rogerio Bacono & Antonio de Dominis; Optica ex Snellio. Nec dubitare licet, quin ex pervulgato uſu ſpeculi Parabolici concavi, ad excitandos ignes per radiorum repercuſſum adhiberi ſoliti, adductus ſit, ut Hyper-

(1) *Plutarch. De placit. Philoſ. lib. 3. cap. 7.*

perbolica vitra, quorum ad res oculis objectas, per radiorum refractionem amplificandas mirifica vis eſt, ad Teleſcopia transferret. Quanquam Robervallius, celeber ætatis hujus Geometres, Hyperbolen ad uſum Teleſcopiorum ineptam eſſe cenſebat: Cauſſa palpitationis cordis, quam refert Carteſius ad fervorem ſanguinis affluentis, & ingenito illic calore ebullientis, & pulſantis repagula venarum dum influit; eadem claudentis, & arteriarum contra oſtia reſerantis, eaſque ſubeuntis dum effluit, & quæ confutata eſt à Johanne Mayovvio Anglo, tota Ariſtotelis eſt. Ait enim conceptis verbis in libro De reſpiratione, pulsûm cordis inde oriri, quod humor ex cibo illuc appulſus per calorem intumeſcat, & extimam cordis tunicam attollat; humorem quippe hunc in cor prolabi continenter, ex eoque ſanguinem gigni, cujus prima origo eſt in corde. Hæc quantumvis ſui paria, plurimum tamen diſcrepare contendebat Carteſius (1), cum hunc ei Ariſtotelis locum indicaret Lovanienſis quidam Medicus, ne gloriam ſcilicet inventionis & novitatis amitteret. Sed fruſtra erat: quamvis enim neque ventriculorum, neque valvularum nominatim meminerit Ariſtoteles, mirabile tamen eſt in tanta Anatomices imperitia, qualis fuit illis temporibus, & recentiorum experimentis carentem eum, velut acu tamen rem tetigiſſe. Et ſane quid hac extima cordis tunica ſignificatum voluerit, ſatis obſcurum eſt; nec litem ei movere hoc nomine Carteſius debuit.

IX. Verum ſolenne hoc eſt ſectæ hujus & præſulis & ſequacibus, Ariſtoteli, non omni-

(1) *Carteſ. Epiſt. Tom.* 1. *Epiſt.* 77. 78.

IX. *Laus Ariſtotelis.*

omnis ſolum eruditionis & ingenii laudem, ſed Philoſophi quoque titulum, ac pene hominis nomen invidere. Quem tametſi à vero ſæpe aberraſſe nemo, qui frontem habeat, negaverit, plura tamen & illuſtriora certum eſt contuliſſe ad Philoſophiam, & ampliori omnis doctrinæ & elegantiæ ſupellectile locupletaſſe humaniores diſciplinas, clariorique feliciſſimi ingenii face mortalibus præluxiſſe, non dico quam Carteſium, hominem ingenii boni, doctrinæ permediocris, ſed quam ullum Philoſophorum omnium, quorum conſtet apud nos memoria. Quæ qui infitiari audent, viros eſſe videmus, vel litterarum plane rudes & impolitos, vel anteceptis opinionibus, quas ab aliis tamen repudiari jubent, excæcatos; vel abreptos partium ſtudiis, vel novitati faventes. Quamvis enim parum habeat novitatis diſciplina iſthæc; hominibus tamen omnis antiquitatis inſciis viſa nova eſt. Atque hæc novitatis opinio quantum valuerit in vulgus vel inde ſcias: ſi priſcis temporibus extitiſſe Philoſophus aliquis Carteſii ſimilis, talemque condidiſſet diſciplinam, qualis Carteſiana eſt, jampridem illam exoleviſſet, uti exoleverunt nobiliores plurimæ. At nunc viget, floretque, quia novitatis ſpeciem præ ſe fert, & nova creditur ab imperitis. Atqui Philoſophicarum rerum dijudicatio animos deſiderat adverſus novitatis lenocinia munitos; nec attentos ſolum & acutos, ſed æquos etiam & literis non leviter tinctos: & jam ſatis liquet verius dictum eſſe à Carteſio, quam credidit ac voluit, Philoſophiam ſuam non eſſe novam, ſed antiquam & vulgarem.

X. Atque hæc hactenus: nec enim laborandum mihi in eo eſt, ut regulas ducendæ vitæ, morumque fingendorum, quas ex-

Vulgares ſunt Carteſianæ Moralis regulæ.

ex inſtituta à ſe & reperta ſtudiorum ratione depromſiſſe ſe ſcribit Carteſius, è priſca Philoſophia manaſſe, & prudentiæ ipſius præcepta eſſe oſtendam. Nam quis neſcit patriæ legibus eſſe obtemperandum, & ex communi uſu agendum, & juxta vetus effatum, vivendum eſſe ut plures, ſentiendum ut paucos: quod Scepticos præcipue tenuiſſe & ſanxiſſe ſupra dixi? Quis nondum audiverat, extrema omnia eſſe fugienda, & virtutem eſſe (1) *medium vitiorum, & utrimque reductum*? Conſtantia in propoſito, & perſeverantia in eodem tenore vitæ, qua altera conflata eſt regula, quam multis ſuadetur rationibus à Cicerone in libris De Officiis? Quam falſe & eleganter deridetur ab Horatio Tigellius ille Sardus, levis adeo, ſibi impar, & mutabilis? Quam decantata à Cyrenaicis & Stoicis tertia regula, quæ ſeipſum vincendum potius conſtituit, quam fortunam; cupiditates domandas potius, quam rerum ordinem mutandum? Tralatitia hæc ſunt & obvia: nec jam, niſi me meus fallit animus, obſcurum eſt, meritone Philoſophiæ reparator à ſuis dictus, à ſe etiam creditus ſit Carteſius (2), qui nihil fere, niſi veterum dictata recoxit. Nos vero non ægre tribuamus ipſi, quod ad calcem Principiorum jure poſtulat, ut eorum quæ attulit nihil admittamus, niſi quod clara ratio perſuadebit. Hoc ſi facimus, magnam utique dogmatum ejus partem explodemus.

EPILOGUS.

Sed nunc deſino, nec enim expectas, opinor, à me, GENEROSISS. DUX, ut cæteras diſciplinæ hujus propagines perſequar & elidam: erutis enim radicibus, acciſoque trunco, corruere cum cacumine ramos neceſſe eſt.

(1) *Horat. Epiſt. lib.4. Epiſt.18.*

(2) *Carteſ. Princip. Part.4. §.207.*

F I N I S.

INDEX

PARTIUM LIBRI HUJUS.

PRÆFATIO.

I. *Exordium* . 1.
II. *Libri argumentum* . 4.
III. *Idem tenebitur ordo diſputationis, quem ſecutus eſt Carteſius, quoad ejus fieri poterit* . 5.

CAPUT PRIMUM.

Expenditur Carteſii ſententia de dubitatione, & de hac argumentatione, *Ego cogito, Ergo ſum* . 6.

I. *Philoſophiæ Carteſianæ fundamentum eſt dubitatio* . 7.
II. *Cur in dubitatione fundamentum Philoſophiæ ſuæ poſuerit Carteſius* . 8.
III. *Dubitandi propoſitum ante deſerit Carteſius, quàm tenuit.* 10.
IV. *Primam veritatis notitiam in eo ſtatuit, Ego cogito, ergo ſum* . ibid.
V. *In quo ponit ut conceſſum id quod quæritur.* 11.
VI. *Ex hoc enuntiato, Ego cogito, non certo colligi poteſt iſtud, Ergo ſum.* 14.
VII. *Notio hæc, Ego cogito, Ergo ſum, non eſt omnium prima* . 16.
VIII. *Sibi contradicit Carteſius, iis quæ lumine naturali nobis nota ſunt, fidem aliquando tribuens, aliquando detrahens.* 19.
IX. *Enuntiato hoc, Ego cogito, aliud ſignificatur quàm quod vult Carteſius; ac proinde ducta ex eo concluſio, Ergo ſum, nulla eſt.* 21.
X. *Cum quis cogitat de re aliqua non eadem eſt idea rei hujus de qua cogitat, ac idea ipſius cogitationis* . 32.
XI. *Falſum eſt, iſtud, Ego cogito, ergo ſum, nobis*

cognitum eſſe per ſimplicem viſionem, non per ratiocinationem. 37.

XII. *Ex hoc dubitandi argumento, quod à Carteſio propoſitum eſt, neſcire nos annon ita comparati ſimus à Deo, vel à malo aliquo Genio, ut ſemper fallamur, refellitur iſtud,* Ego cogito, ergo ſum. 42.

XIII. *An verum ſit, Deus nos fallere non poſſe in iis rebus, quas cognoſcimus per ſimplicem viſionem.* 50.

XIV. *Carteſius in exorſu Philoſophiæ Academicos & Scepticos affectatus, ſtatim errat, ut eos deſerit.* 53.

XV. *Fatetur Carteſius nullam nos habere veritatis normam, niſi conſtet nos ita à Deo non eſſe factos, ut ſemper fallamur.* 55.

CAPUT SECUNDUM.

Expenditur Carteſii ſententia de Criterio. 57.

I. *Perverſum Criterii quærendi viam inſiſtit Carteſius.* ibid.

II. *In eo quærendo parum ſibi conſtat.* 61.

III. *Et in eo quoque aſſignando.* 64.

IV. *Diſtinguit claram & diſtinctam Perceptionem à Lumine naturali, & à Perſpicuitate generaliter ſumpta, & à Notitia rei ex re ipſa hauſta.* 65.

V. *Lumen naturale Carteſii non eſt certum Criterium.* 66.

VI. *Neque clara ejus & diſtincta Perceptio.* 67.

VII. *Quid ſit idea, juxta Carteſium.* ibid.

VIII. *Refelluntur argumenta, quibus probare conatus eſt Carteſius claram & diſtinctam Perceptionem eſſe certum Criterium.* 69.

IX. *Argumentis oppugnatur hoc Criterium. Primum argumentum.* 70.

X. *Secundum argumentum.* 71.

XI. *Tertium argumentum.* 72.

XII. *Quartum argumentum.* 73.

XIII. *Quintum argumentum.* ibid.

XIV. *Neque Perſpicuitas, neque Notitia rerum à rebus ipſis hauſta, ſunt certa Criteria.* 74.

Digitized by Google

XV. *Refelluntur præcepta veri cognoſcendi à Carteſio tradita.* 75.

XVI. *Inanis eſt, quàm ad percipiendum verum adhiberi volunt Carteſiani, Attentio.* 76.

XVII. *Carteſius dubitans in exorſu Philoſophiæ ſuæ, confidens in progreſſu.* 78.

XVIII. *Quam ejus confidentiam Carteſiani ſuperarunt.* 79.

CAPUT TERTIUM.

Expenditur Carteſii ſententia de mente humana. 80.

I. *Certiſſima dogmata de mente humana, deque Dei* exiſtentia, *incertis rationibus confirmare conatus eſt Carteſius.* 81.

II. *Etſi ob veritatis aſſerendæ ſtudium laudandus eſt.* ibid.

III. *Exponitur Carteſii ſententia de mente humana.* 82.

IV. *Quæ refellitur.* 83.

V. *Etiamſi diverſæ haberi poſſint ideæ rei cogitantis, & rei corporeæ, non hinc tamen efficitur res eſſe diverſas.* 85.

VI. *Falſum eſt, prius, certius, & clarius cognoſci mentem, quàm corpus.* 86.

VII. *Falſum eſt, totam hominis naturam in eo poſitam eſſe, quod cogitat.* 89.

VIII. *Falſum eſt, animum ſentire res externas, non corpus.* 90.

IX. *Falſum eſt eſſe aliquid in intellectu, quod non fuerit in ſenſu.* 93.

X. *Falſum eſt, in Conario præcipuam eſſe ſedem animi.* 96.

CAPUT QUARTUM.

Expenditur Carteſii ſententia de *exiſtentia* Dei. 101.

I. *Exponitur Carteſii ſententia de* exiſtentia *Dei.* ibidem.

Ex-

II. *Exploratur Carteſii opinio de idea rei infinitæ & ſumme perfectæ, quæ in nobis eſt.* 103.
III. *Idea rei infinitæ & ſummè perfectæ quæ in nobis eſt, finita eſt & imperfecta.* 104.
IV. *Falſum eſt finitum cognoſci ex infinito, non hoc ex illo.* 106.
V. *Idea rei infinitæ, & ſummè perfectæ, quæ in nobis eſt, neque clara eſt, neque diſtincta.* 110.
VI. *Idea rei infinitæ & ſumme perfectæ, quæ in nobis eſt, aliunde proficiſci poteſt, quam à re infinita & ſumme perfecta.* 111.
VII. Realitas objectiva, *quæ eſt in idea rei infinitæ & ſumme perfectæ, tota eſt à mente noſtra.* 113.
VIII. *Ex idea rei infinitæ & ſumme perfectæ quæ in nobis eſt, non neceſſario ſequitur rem illam infinitam & ſumme perfectam extra mentem noſtram extare.* 115.
IX. *Ex idea rei infinitæ & ſummè perfectæ, quæ in me & aliis eſt, colligi non poteſt* exiſtentia *Dei; ac proinde nec ex illa, quæ in Carteſio eſt.* 120.
X. *Per vitioſum ratiocinationis circulum* exiſtentiam *Dei probat Carteſius.* 122.
XI. *Expugnatis argumentis, quibus* exiſtentiam *Dei demonſtrare conatus eſt Carteſius, ruit, ipſo fatente, omnis ejus Philoſophia, & feneſtra erroribus aperta eſt.* 123.

CAPUT QUINTUM.

Expenditur Carteſii ſententia de corpore & vacuo. 124.

I. *Exponitur Carteſii ſententia de corpore & vacuo.* ibid.
II. *Et refellitur.* 127.
III. *In maximos errores Carteſium impegit ignoratio duplicis* extenſionis; *quarum alia, quæ corporum eſt,* poſitiva *eſt; alia, quæ nihili eſt, eſt* negativa. 129.
IV. *Jocularis error Carteſii de corporũ duritie.* 131.
V. *Parum candide agit Carteſius, cum mundum eſſe ait indefinitum.* 132.

CAPUT SEXTUM.

Expenditur Carteſii ſententia de ortu mundi hujus aſpectabilis . 134.
I. *Exponitur Carteſii ſententia de ortu trium elementorum , ex quibus mundum hunc aſpectabilem conflatum eſſe docuit.* ibid.
II. *Et refellitur.* 135.

CAPUT SEPTIMUM.

Expenditur Carteſii ſententia de cauſſa gravitatis corporum terreſtrium. 139.
I. *Exponitur Carteſii ſententia de cauſſa gravitatis corporum terreſtrium .* ibid.
II. *Et refellitur .* ibid.

CAPUT OCTAVUM.

Expenditur generatim Carteſiana Philoſophia . 142.
I. *Laus Carteſianæ Philoſophiæ .* ibid.
II. *Cur tantum ætati huic placuit .* 143.
III. *Notantur Carteſianæ Philoſophiæ labes.* 144. 1. *Inconſtans eſt.*ibid. 2. *Figmentis nititur.*ibid. 3. *Effectibus cauſſas non neceſſarias, cauſſis effectus non neceſſarios aſſignat.* 145. 4. *Officit Fidei.* 148. 5. *Vitioſa utitur ratione philoſophandi.* 156.
IV. *Carteſii virtutes .* 157.
V. *Cenſoriũ judiciũ de Carteſii ſcriptionibus.* 158.
VI. *Carteſii vitia .* 159.
VII. *Inſigne hoc Carteſii vitium , quod novitatis nimium fuit ſtudioſus ; ac propterea ſimulate affectavit inſcitiam , quam ejus aſſeclæ vere retinuerunt .* 164.
VIII. *Etſi nihil fere attulit novi .* 168.
IX. *Laus Ariſtotelis .* 181.
X. *Vulgares ſunt Carteſianæ Moralis regulæ.* 182.
Epilogus . 183.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google